43! 3. 26.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

~~14~~ 29 6. 72.

43.!3.

~~43~~ 43
f
76. 1


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
27 C
M 14

1h-29b12

CONFVTATIO PVNCTI, QVEM VOCANT HONORIS, SVPER QVO CONTENTIONVM, MONOMACHIArum, ſiue duellorum ſuorum fundamenta Chriſtiana hodie nobilitas iacit, in quo de vero falſoquè diſputatur Honore.

Libellus pius, & ſummè vtilis humanæ ſocietati, ad qualemcunque etiam noxam, offenſamq; proximo condonandam, atque perpetuò fouendam concordiam adhortans.

Authore R.P. Chriſtophoro de Capite fontium.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXXXV.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA
SOC. IESV ... COL. ROM.

12-27-C-14

AD LECTORES PRAEPARATORIA EPIST.

PLinius de natura conqueritur, quod hominem propter quẽ cæteræ creaturæ factę ſunt, quouis alio animãte & debiliorem, & imbecilliorẽ produxerit. Siquidem illum in orbem effundit nudum, ſine armis & veſtimentis, nihil ex ſe potentem, quinimò alieno prorſus auxilio indigentem, & nihilo ſecius miſerijs & calamitatibus plus obnoxium, quàm alia vlla mundi huius animantia. Principium iurè (inquit ille) tribuitur homini, cuius cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna & ſæua mercede contra tanta ſua munera, vt non ſit ſatis æſtimare, parens melior homini, an triſtior nouerca fuerit. Ante omnia vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus, cæteris variè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboreſq; cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata eſt. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abijcit, ad vagitus ſtatim, & plora-

tum,nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. At herculè,riſus præcox illi,& celerrimus, ante quadrageſimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, neque feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt,& omnium membrorum nexus;at homo infæliciter natus iacet manibus pedibuſq; deuinctis flens,animal cæteris imperaturum, & à ſupplicijs vitam auſpicatur, vnam tantum ob culpam,quia natum eſt. Heu dementiam ab his initijs exiſtimantium, ad ſuperbiam ſe genitos. Prima roboris ſpes primumque temporis munus quadrupedi ſimilem facit?Quando homini inceſſus? quãdo vox?quando firmum cibis os?Quandiu palpitans vertex ſummæ inter cuncta animantia imbecillitatis indicium? Iam morbi tot,atque medicinæ tot contra mala excogitatæ,& hæ quoque ſubinde nouitatibus victæ,& cætera ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus,alia vires,alia nare,hominem ſcire nihil ſine doctrina,non fari, non ingredi, non veſci, breuiterque non aliud natura ſponte,quàm flere. Itaque multi extitēre, qui non naſci optimum cenſerent;aut quã ocyſsimè aboleri. Vni animantium luctus eſt datus, vni luxuria,& quidem innumera

bilibus modis,ac per ſingula membra, vni ambitio,vni auaritia, vni immenſa viuendi cupido,vni ſuperſtitio,vni ſepulturæ cura,atque etiam poſt ſe de futuro.Nulli vita fragilior,nulli rerum omnium libido maior,nulli pauor confuſior,nulli rabies acrior:denique cætera animantia in ſuo genere probè degunt:Congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpẽtes, ne maris quidem belluæ ac piſces niſi in diuerſa genera ſęuiunt. At herculè homini plurima ex homine ſunt mala. Hactenus Plinius:qui quidem de natura varijs de cauſis & de tribus prę́ſertim cõqueritur. Primò quòd hominem alijs debiliorem imbecillioremq́ue ac breuioris vitæ, & ſine armis,atq; veſtimentis gignit,cũ alijs viuẽtib. quilibet in ſuo genere, prout neceſsitas exigit, ſatis ſuperq; prouiderit, reiecto, abdicatoq; homine tam in fragili imbecillitate, quàm in imbecilli fragilitatate ad ferendos fortunæ aſſultus, necnon vitæ huius miſerias, afflictiones, & calamitates. Ex iſtis Philoſophus ille conquerendi de natura anſam accepit. Verum enimuerò ſi poſtrema verba, quę protulit, cum ſuę ſententiæ initio contuliſſet, animaduertiſſet profectò in tam aculeatam contra natu-

ram querelam ſe immerito erupiſſe. Nã du bio procul illa ſagax & prouida, commodo & vtilitati humani generis optimè cõſuluit, dum tam exiguæ valetudinis vitæque breuioris, ac ſine armis homines procreauit. Nam ſi verum eſt, vti ais, o Plini, homini plurima ex homine eſſe mala, eaq; maiora, quàm ex alia vlla creatura, nõne præſtat illum eſſe ad alijs nocẽdum impotentiorẽ, quàm conſpicere tantã illius malitiam, magno robore ac armis, vitęq; diuturnitate ꝑditã? Quòd ſi homines, qui (vt ais) tot hominibus mala inferunt, robur elephantis, leonis vngues & vires, tauri cornua, cerui velocitatem, apri dentes, crocodili ſquamas, volatus auium, natatus piſcium, & cum iſtis omnibus vitę 900. vel 1000. annorũ vſuram haberent, quid mali non agerent, & molirẽtur in inuicem in tot annorum curriculis? Quot facinora patrarunt Antiochus, Pharao, Herodes, Phalaris, Nero, Caligula, Heliogabalus, &c. in tanta annorum quibus vixere breuitate? Nónne magnam attuliſſet iacturam humano generi natura, quandoquidem ex hominibus tam nocuę & crudeles belluæ naſci debebãt, ſi hominem adeò potentẽ, robuſtum & viuacẽ produxiſſet, quàm propterea quòd id non fecerit, ita inique accuſat Plin. An vir probus mundi mi

ſerijs

ſerijs,& calamitatib. hinc agitatus, inde ex id genus tyrannorũ violentia & malitia vexatus, fœlix nõ cenſebitur, propterea quòd vitę breuitas à natura illi cõceſſa ex medijs illis afflictionibus, prauorumq; hominũ cõſortio eripit,& liberat? Itaq; vt ad te reuertar, o Plini, iuſtã cõquerẽdi de natura rationẽ haberes (ſi ita fas eſt, loqui tecum nobis qui naturę auctorẽ nouimus, qui ipſam naturam & omnia alia, quæ naturæ viribus ignorans tribuis, creauit) ſi in productiõe hominis intendiſſet athletam, belligerũ, pugnatorem, militem facere,& nõ potius creaturam rationalem, pacificam, amabilem, dulcem, benignam, mãſuetam, ſocialem, & quietam. Siquidẽ quòd homo naſcitur nudus, ſine viribus & armis, certo argumento eſt & indicio, illum ad pacem potius, amicitiam, & beneuolentiam eſſe productum, quàm ad bella, lites, contentioneſq;, aut vt malis nocumentis ac iacturis alios afficiat. Videmus reuerà inter cætera animantia nonnulla leuiter armata, alia cataphracta, id eſt, à capite ad pedes vſque armata. Tauris arma ſunt cornua, leonib. vngues, apris dentes, elephantis vltra pellem corporiſq; vaſtitatẽ, promuſcis, crocodillis ſquamæ veluti laminę, quibus ſe tegãt, corpuſq; tueantur. Et ſic de cæteris, quæ extrinſecus

ſunt effigie ſimiliter crudeli & belluina, quippè oculos habentia terribiles, vocem rudem & horribilem, atque pleraque alia, ſuæ immanitatis argumenta, ſed hominem ſolum nudum, inermem, imbecillem, tenera carne, pelleq; leui ac tenui, nullum prorſus ſui corporis membrum habentem, quò alios lædere valeat, natura produxit: Quod ſatis ex eo liquet, quod homo non poteſt ſuo quemquam petere capite, aut pedibus manibuſve percutere, quin etiam vicisſim læſionem ſentiat, adeò quidem, vt tantùm nocumenti, aut etiam plus recipiat, quantũ alijs inferre cogitauit. Adhæc in alium excandeſcere nequit, niſi prius tormentum in animo patiatur. At cætera animalia nocere equidem ſuis cornibus, ſpinis, & vnguibus poſſunt abſque vlla ſui offenſione. Contrà verò homo habitu, aut figura minimè horrida, aut crudeli, ſicut cætera viuentia præditus eſt, dulci ſcilicet, & affabili, pulchra & pacifica, teſſeram in ſe habens veræ beneuolentiæ & amicitiæ ſigna. Oculos habet benignos, & aſpectum amabilem, vocem non ſicut cætera bruta, ferocém & duram, ſed dulcem, placidam & ſuauem. Solus riſu gaudet alacritatis & lætitiæ ſymbolo, lachrymaſque emittit in ſignum compaſſionis, clementiæ & miſericordiæ, loquelam

habet

habet & prudentiam: quibus amicitia con ciliatur, conſeruatur, & fouetur inter homines. Societatis eſt auidus: Naturali quodam inſtinctu gaudet, beneficum eſſe in alium, atq; malefacti naturaliter pœnitet, & dolet. Et vt ſummatim dicam, omnia humanitatis & beneuolentiæ ſigna in ſe habẽtem ad nullũ malum inferendum natũ eſſe cõſtat. Vnde natura, ſiue vt magis Chriſtianè loquamur, auctor naturæ iſta debilitate impotentia, imbecillitate & nuditate, necnon & affabilitate, & beneuolentia, quam in figura hominis inſculpſit, oſtendere voluit, ſe illum non niſi ad pacem & amicitiã, pacificumque cum cæteris hominibus conuictum creaſſe. Dotauit quoque illum libero arbitrio, re ſanè diuina & excellenti, vt nihil inuitus, aut coactus faceret, ſed vt ex conſilio & dictamine rationis ad conſortium hominum ſeſe accommodaret. Huc potiſſimum ſpectabat natura, fabricans hominem alio artificio quàm reliqua animãtia; nihil minus prætendens, quàm illum cõdere litigioſum, rixoſum, intractabilemq; bellatorem. Quod ſi bellum infert hominibus, hoc ſua repugnante natura facit: quæ quidem omnem violẽtiam, vim, & oppreſſionem ex ſe deteſtatur. Quocirca non conquerar tecum, O Plini, de natura, quod ho-

minem ſine armis produxerit. Siquidem tu nullam alioquin iuſtam hoc faciundi occaſionem habens, omnes tuæ eloquentiæ neruos conuertere debueras in deteſtationem illorum, qui ad totius generis humani perniciem hominem huiuſmodi armarint. Eos ſcilicet, qui homini fabricarunt gladios, pugiones, enſes, lanceas, fuſtes, contos, haſtas, mucrones, iacula, arcus, ſagittas, tela, baliſtas, ſundam, tubas ductiles, catapultas, bóbardas, & cętera horrida Vulcani fulmina, & tonitrua, quibus mactet, lędat, occidat, interficiat, enecet, depđdetur, & ſpolietalios priuatos omni ſibi cóceſſa ab ipſa natura felicitate? potius mirari aut deplorare debueras, illum malum Genium, illum *μισάνθρωπον* Timonem, illum belligerum dæmonem, illam peſtem, illã furiam infernalem, qui tam horrenda *μεταμόρφωσι* mentem hominis transformauit, vt amabilis, & pacifica creatura, quam ad humanitatem, beneuolentiamq́; mutuam, necnon ad aliorũ ſalutem & defenſionem crearat Deus, ita iræ, furoris, inſaniæ, & iracundiæ œſtro percita, tam miſerè, tam crudeliter, & immaniter ad hominum graſſetur exitium, inque propriam ſpeciem ſæuire videatur. De illis profectò conquerendum foret, qui ingenitam illius dulcedinem & clementiam

in tantam crudelitatem transformarunt, & non de natura, ſiue eius authore, qui eam multo meliorem condiderunt, quam nunc appareat. Quia ipſi in cauſa ſunt, quod homines hominibus tot mala inferant, tot inquam, ac tam horrenda mala, vt ea quæ à feris homo patitur, nihil ſint, ſi cum illis conferantur. Magna equidem incommoda ſunt, quæ hominibus à reliquis creaturis inferuntur, vti à mari, ab igne, ab aqua, ab aere, à cœlo & ſtellis, cæteriſq; rebus, quæ ruinas illis varias, morbos, mortes dolores, cauſant. Permulti enim cataclismo periere, dum vnus Noe cum ſeptem animabus, ab illa immenſa aquarum colluuie ſolus euaſit Olim in ſubuerſione Sodomæ & Gomorrhæ, vicinarumque vrbium: innumeros homines dehiſcens terra viuos abſorbuit. Plures in mari, in fluuijs, in ſtagnis, lacubus, puteis, & fontibus ſuffocati ſunt. Alij febri & peſtilentia ſublati fuerunt, fulgur etiam de cœlo non paucos è medio ſuſtulit. Alij riſu, aut immodica lætitia, alij exceſsiua triſtitia, & mœrore, alij verò nimia bibendi & comedendi ingluuie obierunt. Multi alij terræ motu, domorumque ac turrium, & mœnium, cæterorumque ædificiorum ruinis extincti ſunt. Alios canes, lupi,

leones, vrſi, crocodilli, & id genus belluæ deuorarunt: Alij ſiti, fame, calore, frigore, alijſque inedijs confecti mortui ſunt 600. ad minus morborum genera ad vnius hominis perniciem graſſantia reperiuntur, adeò vt qui hominum morte huiuſcemodi violenta oppreſſorum catalogum texere vellet, infinitas reperiat myriades, ſed iſthæc omnia quid eſſent, ſi ad infinitam hominum multitudinem ab hominibus occiſam (quemadmodum cernere eſt in hiſtorijs) conferrentur? Numerentur illi, qui à Regibus, Tyrannis, & Imperatoribus ſuæ ditionis limites extendere volentibus interfecti ſunt. Ex duobus aut tribus exemplis de cæteris coniecturam facito Iulius Cęſar Dictator nuncupatus, ſe iactare ſolitus erat, ſuo impulſu & conductu ex inimicis cæſos fuiſſe 1190000. demptis illis, qui ciuilibus bellis occubuerant. Carolus Martellus Frãcorum Rex vno conflictu contra Abidiramum 342000. Gothos ſtrauit. Cyrus Perſarum Rex à Tamiride Maſſagetarum Regina interemptus eſt, occiſis totius ſui exercitus ex 300000. militum conflati, ad vnum omnibus, adeò vt nullus ſuperſtes euaſerit qui tam funeſtos rumores Perſis nunciaret. Quis enumerare ſufficeret, quot occiderint Alexander Magnus, Philippus eius pater

cæteriq́ue Græciæ Tyranni? Quid dicemus de Regibus, Imperatoribuſque Rom. Principibuſque Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Angliæ, Germaniæ & Vngariæ: de Regibus Babyloniæ, Aſſyriæ, Medorum, Perſiæ, & nunc de Turcarum Imperatoribus, Tyrannis totius orbis ſæuiſsimis? Quid etiam num de homicidijs cædibuſq; in priuatis tumultib. factis? Nõnulli in aquis ſubmerſi, alij de orsũ pcipitati, alij viui ſepulti, alij ſtrãgulati, alij lapidati, alij in rota cõtuſi, alij decollati, alij in tormẽtis, vinculis & carcerib. defecerũt, alij viui excoriati, alij cremati, alij ad caudas equorũ tracti, alij verò veneno necati, à Piratis prædonibuſque vita priuati, alij ab ipſiſmet, qui illos defendere debuerant, ſicut à Regib. Principib. Iudicibus, Patronis & Dominis enecati, ita vt nihil homini ſit ab homine tutum. Cui enim fidere poterit? Patri, vel matri? Quot infantes à proprijs parentibus occiſos legimus? Dices fortaſſe: ſaltem proprijs natis fidere poterit. Sed Deum immortalem. Quot filij ſunt & fuerunt parricidæ, & propriorum parentum interfectores? Quam ſanè rem alta mẽte conſiderãs Rex Maſiniſſa, proprij corporis cuſtodelam credere malebat canum (quos huius rei ergò nutriebat) fidelitati, quam alicui ſuorum filiorum, quos 10. fuiſ-

ſe

ſe produnt hiſtoriæ. Sed quid? fidetne fratribus, ſororibus, cognatis, auunculis, nepotibus, & id genus conſanguineis? Sed libri mutuis fratrum in fratres, ſororum in ſorores, reliquorumque cognatorum in cognatos cædibus pleni ſunt. Quid, nónne vxor cum viro tuta non manebit? Minimè ſanè. Innumeras enim reperies occiſas à maritis vxores, & viciſsim ab vxoribus necatos maritos. De Alexandro Phærio Græciæ Tyranno, narrat Valerius Max. quod adeò ſibi ab vxore cauebat, vt nunquam diſcederet cubitum, niſi diſcuſsis accuratè veſtimētis eius, videret, an pugionem vel gladium haberet, & nihilominus ab illa tandē peremptus eſt. Quibus ergo fidet miſer homo? Nónne erit illi ſaltem tútum ad amicū refugium? Reuerà, qui verum & fidelem amicum acquiſiuit, prætioſum inuenit theſaurum: ſed ſimiles theſauri rari ſunt, & abſconditi, quibus ſi aliquis gaudet datum eſt illi deſuper. Atq; Deus bone, quot reperientur in hoc decepti? Quot amicos inuenies, qui non habeant fidem cum fortuna mutabilem? & qui amicum in neceſsitate non relinquant? Sæpius amicus gaudet ſe reperiſſe amicum, quo cum cordis arcana detegat, quem poſtea pœnitet, illi non vt amico, ſed vt diſsimulatori ſua ſecreta communi-
ni-

nicaſſe;inuenias infinitos, qui ſui in te amo ris & fidelitatis argumentum deierabunt Deum & diuos,qui tamen ſunt proditores, & cõiurati hoſtes. Vetus ſentẽtia eſt, fictus amicus velum hoſtilitatis eſt. Miſera ſanè hominis conditio, quandoquidem quandiù viuit, nullum certum refugium apud hominem habere valet. Nónne ingenuè igitur fatendum erit, illos irreparabilem humano generi iacturam attuliſſe, qui hominem à natiua manſuetudine, ſimplicitate, & innocentia ad tantam immanitatem pellexerunt? Sanè haud poſſet quiſpiam ſatis illos deteſtari. Sed quinam ſunt primi huius mali inuentores? Poſt attentam rei conſiderationem facilè reperientur Poëtæ & & Hiſtoriographi magis culpabiles, qui ſuis cantionibus,carminibus,odis,hymnis, alijſque poematis bellicoſos Tyrannos propter æditam maximam hominum ſtragem,propter euerſas magnas vrbes,prouincias,& Regna,propter patrata multa homicidia,latrocinia,ſacrilegia, & alia id genus impietatis exempla,non minus laudarunt, quã pios,beneficos, & religioſos principes, & monarchas,honeſtatis,iuſtitiæ,& virtutis cultores; ipſi enim tam flagitioſos,crudeles tyrannos non erubuerũt vocare Reges,

Principes, Heroes, Semideos, ſtrenuos, nobiles, magnanimos, ac vlterius progreſsi, illos in Deum numerum referre voluerunt, diuinam illis ἀποθεόσιν tribuentes: cum tamen potius illos tanquam latrones, prædones, inuaſores, homicidas, parricidaſq; deteſtari debuiſſet, nã vt verũ fatear, nihilo plꝰ differt iniuſtus bellator à latrone, aut pdone publico, quàm differat paruus à maiori prædone, ſimplexque à duplici vel centuplici latrone. At iſti lepidi Poetæ & Hiſtoriographi, nephanda illorum ſcelera ementitis Regum, Principum, Imperatorum, fortiumque virorum titulis obduxerunt. Nõ immeritò igitur famoſus quidam Pyrata Alexandro Magno de latrocinijs commiſſis illum arguenti, cauſamque cur ita mare infeſtaret, ſciſcitanti reſpondit: Eadem me cauſa mouet, quæ te, vt orbem terrarum infeſtum haberes: ſed quia id ego exiguo nauigio facio, latro Pyrataque vocor: Tu autem idem magna claſſe faciens, Rex, Imperatorque diceris, his verbis, aſſerens ſe. & Alexandrum in latrocinij ſubſtantia maximè cõuenire, hoc ſolum inter eos diſcriminis eſſe, quod latrociniorũ Alexandri magnitudo titulo Regis & Imperatoris fucata tegebatur: ſuum autem Pyratiſmum exiguitatemque latrociniorum, nomine Piratæ &

tæ & latronis infamia notari. Quantum tamen ad veritatem facti, iſte paucorum latrunculorum dux erat, ille verò magni latronum prædonumq́; exercitus caput erat, & Coryphæus. Vnde apparet corũ lapſus, qui huiuſcemodi latrones famoſoſq́; prædones ſuis proprijs nominib nuncupare veriti, illos titulis Regum & Principum coronarunt, dicente optimè Auguſtino, remota iuſtitia, quid ſunt ipſa Regna niſi magna latrocinia. Quid ipſa latrocinia? quid ſunt, niſi parua Regna? Nam ſicut Rex ſuo nutu & renutu totum exercitum moderatur, prædam pro animi ſententia diuidit, ita faciunt latrones, qui ſi ad iuſtum exercitus numerum aſſurgere poſſēt, captis vrbibus, caſtris, & prouincijs vnum profectò Regem cooptarent, qui non minus Regis titulo gauderet, quàm ſupra memorati reges. Exemplo ſint gladiatores Romani, qui cum ex ludis paleſtricis in Campania habitis, fugientes in magnam multitudinem coaluiſſent, captis occupatiſq́; caſtris, terris, vrbibuſq́; plurimis cõdiderunt regnum, ipſi Romano imp. multum formidabile, quod non minus titulum regni merebatur quàm Romanum Regnum, olim ab ipſo Romulo eiuſmodi latronum auxilio & opera freto conſtructum & inſtitu-

Lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 4.

tum.Ideò D.Cyprianus mihi optimè videtur dicere,dum ait: Madet orbis mutuo sãguine, & homicidium quando admittunt ſinguli,crimẽ eſt. Virtus verò vocatur,quãdo publicè geritur: impunitatem ſcelerib. acquirit,non innocentiæ ratio, ſed ſceleris magnitudo. Sic ratio innocentiæ nõ affert criminibus impunitatem,ſed ſceleris magnitudo.Quod conſiderans Lucanus, Alexãdrum Magnum vocabat fœlicem orbis prędonem.En iſtis & alijs exemplis facilè deprehendi poterit,maiores huius orbis prædones,oppreſſores,inuaſores,ſacrilegos,homicidas,ac cęteros Reip.pernicioſos hoſtes hactenus,eheu,nimiũ titulis Regum,Principum,Imperatorum,dominorum,&c. honoratos fuiſſe.Inficiari tamen nolim,plures huiuſmodi nominibus meritò decoratos eſſe,id eorum exigente virtute, ſed loquor de illis,qui cum nihil aliud,quàm hominũ oppreſſores fuerint,tam honorifica epitheta, quibus proborum Regum & Principũ virtus decorari ſolebat,ſibi tam impudenter vſurparunt,vt delata ſuſceperunt. Nũc itaq; vt ad noſtros Poetas & Hiſtoriographos redeamus, in illos iurè culpam, qua ita hominum mentes efferarunt, reijcimus. Notandum nanque nobis eſt,hominem eſſe honoris, & gloriæ auidum, naturaliterq;
deſi-

deſiderare, vt nomen ſuum immortale red-
datur, adeò quidem, vt non defuerit vnus
olim, qui nullam de ſe fieri memoriam cer-
nens, eò veſaniæ proruperit, vt Epheſi tem-
plum Dianæ ædificium totius Aſiæ cele-
berrimum combuſſerit, quatenus ſingula-
ri quodam facinore ſuum poſterorum me-
moriæ nomen conſecraret, quod virtute
conſequi non poterat. Alexander ille Mag-
nus, adeò gloriæ auidus exſtitit, vt deſcri-
bendis rebus à ſe præclare geſtis alium Ho-
merum frequentibus votis expoſtularet,
Achillem fœliciſsimum fuiſſe ratus, quip-
pè qui in tantum ſuarum laudum præco-
nem incidiſſet. Et talis vanæ gloriæ cupi-
do citiùs magnatum, quàm plebeiorum
corda occupare ſolet. Quando igitur Re-
ges & Principes illos viderunt à Poetis Hi-
ſtoriographiſque magis laudari, qui a-
lios non virtute iuſtitiaque, ſed diuitijs,
opibus, homicidijs, bellis, factionibus,
& in Prouinciarum, vrbiumque depræ-
datione anteuertiſſent (nam huiuſmo-
di Scriptores inter iuſta & iniuſta bella,
inter iuſtè & iniuſtè partas opes, nul-
lum diſcrimen poſuere, quemadmo-
dum facere debuiſſent, vt quemlibet ſuus
honos, vel vituperium maneret) inanis glo
 riæ

riæ ſtimulis agitati, ſimilia patrare facino-
ra conati ſunt,quibus alios videbant glori-
am conſecutos: quò his medijs nomina ſua
apud poſteritatem immortalia redderen-
tur. Vnde per fas & nephas, & abſque boni
vel mali diſcrimine,omnia bellorum, la-
trociniorum,homicidiorum,cædium,ſedi
tionum,&c.genera exercuere,vt ad concu-
pitos honores peruenire poſſent. Hac inſa-
nia perciti pleriq; ex huius orbis Regibus,
Principibus & Dominis; quò celebrentur
nomina ſua in terris,bella abſq; vlla omni-
nò occaſione aduerſus alios Principes exci-
tant,ad inuadendos alienos limites: idq; cū
maxima cruentiſsimaq; humani ſanguinis
effuſione: Tunc concupiti honoris metam
ſe cōtigiſſe arbitrantes,ſi bellicoſorum, ma
gnanimorum,victorum,&c. titulis gaude-
ant.Si Africani, Illyrici, Aſiatici, Gallici,
Germanici vocentur,quemadmodum Ro
mani olim Imp.vocari affectabant. Verun-
tamen ſicut ille,qui proximū necat, vt oc-
cupet domū eius, homicida reuera eſt,ſic &
Rex,Princeps; & Dominus homicida & la
tro meritò cenſebitur,ſi aliena regna inua-
dat,ſi alienas opes diripiat,vt inſignis habe-
atur.Homicida inquā erit,idq; toties, quot
homines ſua culpa necantur: nō eſt animus
hic de regibus, qui pro defenſione ſuorum
ſub-

ſubditorum (de quibus D. Paulus ait: non ſine cauſa gladium portant, ad punitionem ſcilicet malorum, laudem verò bonorum) arma ſumunt, quibus obſecundandum eſſe ſub interminatione irę diuinę clamat idem Apoſtolus: ſed de illis eſt ſermo, qui, nulla capta occaſione, bella cient, ad non aliud niſi vt occupatis alienis aruis, illum iniquum peſtiferumq; honorem, quem in id genus poetis & hiſtoricis alios adeptos legerunt, conſequantur & ipſi, etenim Poetæ & Hiſtorici ſcriptores, tantũ abeſt vt ſimiles Reges & Tyrannos laudare debuiſſent, quod totam ſuam dicẽdi facultatem, ad deteſtanda eorum ſcelera, conuertere tenebãtur, ſed cum omninò contrarium fecerint, eos ſuæ iniquitatis & tyrannidis cauſa laudantes, eoſdem iſta falſa honoris opinione dementarunt, vt ea mala patrarent quæ animus vel cogitare horret. Hæc eſt igitur falſa illa imaginatio, pernicioſaq; opinio honoris, auram popularem, narrationes fabuloſas, ac Rom. hiſtorias ſequens hæc eſt, inquam, illa, quæ ita mentes hominum efferas reddidit, vt iam quod ad aliorum commodum, & vtilitatem ab auctore naturæ acceperũt, in generis humani conuertant ruinam. Inde iſta falſæ gloriæ ſpecies, quæ hodie in tãto pretio eſt apud huius mundi, quos vo-

cant illuſtres viros, & multorum homicidiorum, contentionum, diſſenſionumq́; ac infinitorum malorum cauſa eſt, dum vnus quiſque magnam ſe ſui honoris incurriſſe iacturam putat, ſi ab alio mendacij arguatur, & non ſtatim mucrone illum petierit, à quo ſe infamatum eſſe ſibi perſuadet. Quod ſi læſi honoris iniuriam condonarent, iam non ſe nobiles & illuſtres eſſe putarent: & interim ſi aliquem verbis iniurioſis affecerint, millies mortem appetere mallent glorioſi illi Thraſones, quàm delicti veniam petere, aut fratri ſuo ſecundũ præſcriptum Euangelicum reconciliari. Illi igitur qui huiuſmodi viuendi conſuetudinem tanquam virtutem heroicam laudãt, occaſionem præbent tot rixis, diſſidijs, contentionibuſq́; priuatis, quę inter inferioris ordinis homines naſcuntur, ſicut naſci aſſolent publica bella inter Principes & Reges, adeò vt pax, quam Chriſtus tantoperè nobis commendarat, exulet à cordibus eorũ, inhabitante in illis dæmone, qui verę pacis coniuratus hoſtis ad arma excitat homines, vani, ſophiſticique honoris quęſito colore. Pacem adeò magnum bonum eſſe, vt ſine illa nullum bonum ſit verè bonum, atq; adeò magnam eſſe virtutem, vt ſoli illi veri ſint nobiles, qui pacifici ſunt, Chriſtianus

ne-

emo neſcit. Eſt enim pax ſecuritas data re
ous & perſonis, finita illorum inimicitia, à
quibus ſibi impendebat periculum. Sed
quem honorem quæſo meretur ille, qui
proximi vitam & bona in continuo pericu
lo retinet? nullum equidem honorem niſi
illum meretur, quo lupi, leoneſq́;, vel ſi ma
uis, diabolus homicida ab initio atq; ſuper
omnes filios ſuperbiæ rex, digni ſunt, verũ
enimuerò nõ paruam laudem merẽtur, qui
benefaciũt alijs, qui illos defendunt, aut à fu
turis præſeruant, & à præſentibus eripiunt
periculis & malis. Quod ſi Poetę illi, Hiſto
riographiq́ue, atq; cæteri iſtorum tyranno
rũ encomiaſtæ ſiue laudatores, nõ niſi paci
ficos, & in Remp. bene meritos laudaſſent
Reges, orbiſq́; Principes, tanto hodie cona-
mine pacẽ, hominumq́; amicitiã procuraſ-
ſent, quantò nunc occaſionem quærunt il-
lum execrabilem inhumanumq́; honorem
per fas & nefas adipiſci, tutariq́;. Quod ſi cõ
mu ni omniũ conſenſu deteſtaremur illos,
qui ſunt ex nobilitate rixoſi, inuaſores, op-
preſſoreſq́; ſolos pacificos, benignos, huma
noſq́; laudãdo, nõ eſſet ꝓfectò tantũ bello-
rũ, diſcordiarũ, & id genus malorũ, q̃ ad fa-
miliarũ, & omnẽ ordinũ ruinã & deſtructi
onẽ quotidiè coaleſcũt. Sed nunq̃ illorum
erit finis, donec iſta maledicta falſaq́; hæc

huiuſmodi honoris imaginatio, ſemel de cordibus hominum non eradicetur. Quod ſi aliquis eſſet, qui hoc facere poſſet, illos in æternũ ſibi deuinctos redderet. Sed vbi eſt ille, vt cum omni honore dignũ proclame mus? Chriſtianiſsimus Rex Carolus 9. ſuo edicto cauit prudentiſsimè, ne cõflictus v-ſuſq; armorum inter ſui regni nobiles eſſet, quacunq; capta occaſione: inhibens cuili-bet, alteri crimen mendacij obijcere, aut a-lia quauis iniuria laceſſere, & aliquo inter-ueniente diſſidio, mutuò reconciliari, ſta-req;, ſi quæ controuerſia emerſerit certorũ virorum ſententiæ & iudicio: Pia & ſancta ordinatio, quæ vtinam ab omnibus cum a-lijs pijs eius decretis obſeruaretur. Sed quid huiuſmodi diſſenſionum ſcaturigo nondũ ad plenum deſiccata eſt: nam non obſtanti-bus quibuſcunq; edictis, magna adhuc gla-diorum, fuſtium, enſium, cæterorumq; ar-morum per totum Chriſtianum orbem li-centia eſt. Qui abuſus facilius de medio tol li poſſet, ſi falſa huiuſmodi vani futiliſque honoris eliminata de hominum cordibus opinione, veræ gloriæ, q̃ ex ſola virtute be nefactiſq; naſcitur, in nobis inſculperetur deſiderium. At quis tanta dicendi facultate valet, vt hoc efficere poſſit. Quo ſtylo, qua eloquẽtia opus eſſet? O vtinam mihi Deus

con-

concederet copioſam Ciceronis aut Demo
thenis facundiam, & ingenioſam Ariſtot.
ſubtilitatem, vel potius diuinã Spiritus ſan-
cti energiam: illam profectò in huius ſãctæ
rei vſum libenter conuerterem. Sed quid?
vt nobis iſta dicendi fœlicitas deſit, inceptũ
relinquemus opus? minimè. Quod ſi rebus
in magnis etiam voluiſſe laudabile eſt, tan-
tò magis meritorium erit manum huic rei
admouiſſe, quãtò ingenium excedit operis
magnitudo. Quanuis igitur inſufficientes
ſimus tot infectis corruptiſq; huiuſce falſæ
conceptæ gloriæ opinionis rumoribus ſa-
nandis non deſiſtemus tamen ab officio no
ſtro. Et fortaſſis anſam doctioribus præbe-
bimus, qui introſpecto penitùs rei argumẽ-
to, ſupplebũt, perficientq; fœliciùs, quo no
ſtra tenuitas pertingere haud potuit. Ego
enim, vt verum fatear, viſis tot malis, quæ
ex iſta falſa honoris opinione inter noſtræ
regionis nobiles huiuſcemodi puncti hono
ris, quem vocãt, legibus obſeptos, enaſci ſo-
lent, tantis eorum miſerijs compatior, & in
doleſco conſiderans illos in mutuas cædes
ruere, litigare, atq; in ſe inuicem graſſari, id
que ex tam leui occaſione: vt mundus iam
plus illis compatiatur, quã inuideat. Quid-
ni? Nónne hoc eſt ſummè deplorandum vi-
dere hominem nobilem, ac bene natum, alí

 cuius

cuius nebulonis iniurijs prouocatum, vt tã iniquis huiuſmodi puncti honoris legibus obtemperet, velle in certamen deſcendere, vitá ſuam mortis diſcrimini leuiſſima de cauſa expoſiturus, vt tandem cogatur occidere vel occidi? Iam nemo neſcit legum diuinarum & humanarum iura velle, vt ille, qui pro huiuſmodi nænijs & tricis alium occiderit, pro homicida habeatur, ac puniatur. Qui ſi hominum ſententiam euaſerit, iudicium tamen Dei, quod nunquam fallitur, abſque dubio ſubibit. An non eſt ter quaterque deplorandum, homines adeò dementatos eſſe, vt ſibi perſuadeant, homicidium perpetrare, eſſe honorem acquirere, & viciſsim pro iniuſtitia occidi, honorificè mori? Qualis iſta tragœdia, vnum nobilem tã obſtinatè eiuſmodi leges obſeruare velle & tam vilem ſui factum, vt in peccato ſuo ſubitanea occidi morte, idque nihil minus, quam iſtud cogitantem, nihili ducat aut faciat? Nónne ſummæ itidem peruerſitatis eſt, hominem & hunc Chriſtianum credere ac quod magis eſt, vſque ad ſanguinem defendere, ſibi opprobrio verti, ſi legem DEI ſeruet, & viciſſim ſibi honorificum eſſe, ac rem homine nobili dignam, ſi omninò legis diuinæ oppoſitum faciat.

Nihil

Nihil aliud in ſumma hoc, niſi homicidam laudabilem eſſe, hominem verò virtute præditum, ignominia ac vituperio dignum. Sed vt ea quæ legis Dei, animarumque ſaluti (quæ eheu! pauci curant) aduerſantur, taceamus, quid de alljs malis, periculis, & damnis dicturi ſumus, quæ huius falſi honoris idolum, eiuſque impiæ ac tyrannicæ leges iſtius temporis, nobilitati afferunt? Illi qui huic idolo litarunt, optimè dicere poterunt, quot dolores, tædia, angores, faſtidia, anxietates, timores, & id genus animi, & corporis cruciatus ſentiant, in quibus tanquam in inferno viuunt omnes, qui huiuſcemodi diffidijs occalluerunt, vt omittamus maximam bonorum terrenorum, quam faciunt, iacturam, inexhauſtamque pecuniæ ſummam, quam expendunt, necnon domos, reditus, & poſſeſsiones, quas Baal offerre tandem coguntur.

Non vſquequoque mirandum eſt, ſi vir nobilis, dilapidatis, vt ſtrenuum virum ſe oſtendat omnibus, in extremã decidat paupertatem: ſed intollerabile profectò eſt, huiuſmodi ſtrenuum hominem, poſtea fieri prædonem inuaſoremque cum perpetua

ſuæ

ſuæ ſtirpis infamia. Dicet mihi fortaſsis ali-
quis huiuſcemodi, quæ inter nobiles enaſ-
cuntur, querelas non eſſe perpetuas, aut om
ninò pertinaces; cùm, ſuccedente tempore,
finem tandem accipiant. Concedamus ita
eſſe, ſed quantum difficultatis, quantum fa-
ſtidij, laboris, & tædij ſit in cõponendis hu-
iuſmodi tumultibus, nemo facilè ēnarraue
rit. Quod vnus facilè reconcilietur, ab hu-
iuſmodi hominibus non benè accipietur,
quin potius illum, qui propter Deum om-
nia iſta remittit, tanquam ignauum, & pu-
ſillanimum ſtatim vituperabunt. Multum
diuq́; præſtolandum erit, vter alterum præ
ueniat, vter alterum prius veniam roget,
cauteq́; animaduertendum erit, quibus vèr
bis vtendum ſit, ne huiuſce puncti honoris
iura violentur. Congregandi tribuni mili-
tum & præcipui duces, qui illorum cauſam
in tam iuſto æquilibrio trutinent, vt vtriq;
parti ius ſuũ reddatur. Congregandi quoq;
parentes & amici, idq́; certatim, vt quis plu
res habere, & plura expendere poſſe videa-
tur. Et interim Deus ſcit, quibus dolorum,
anxietatumq́; ferculis eorum menſæ onerẽ
tur, dũ vnaquæq; domus ſuas ſequitur par-
tes. Deum immortalem? quis Cacodæmon
noſtrã nobilitatem à priſtina ſua tranquilli
tate & libertate tam miſerè alienauit? Quis
malus

malus Genius generoſos illorum animos tam duro ac iniquo iugo aſtrinxit? Durum, inquam, iugum eſt, & adeò durum, vt ſi in iugo Dei ferendo tot dolores, pœnæ, labores, diſcrimina, difficultates, tædia, &c. inuenirentur, quot in iſto, quilibet ſe à diuinę legis obſeruãtia excuſatum exiſtimaret. Quibus ſi tanto feruore pro honoris diuini tuitione depugnandum eſſet, quanto certant pro iſto falſo ſuo honore conſeruando, pro fectò illud iugum difficilè, periculoſum, ac laborioſum nimis, illicò proclamarẽt. Quæ Circe illorum animos adeò dementare potuit, vel quæ mania ita illos tranſuerſos abripuit, vt homines alioqui ingenui & liberi, eò ſeſe demitterent, vt parere vellent tantæ ſeruitutis, ſeu potius veræ tyrannidis imperio? Et vt denuò repetam, quod dixi, magna equidem compaſsione ducor, dum illorum infœlicitatem conſpicio. Optarem ſanè in cordibus illorum verę virtutis imprimere amorem, quatenus verum honorẽ veramq; libertatem adipiſci poſſent, rupto tam dirarũ legum iugo, quod neq; illi, neq; patres illorum fœliciter portare potuerũt. Neq; dubitarim ex nobilib. viris cordatiores quoſq; atq; ſapientiores hoc crudele iugum exhorrere, atq; ob infelices, qui ex iſta erroris ſentina ſcaturiunt ſucceſſus, ſæpius vehe-

vehementerq́; affligi animo, ipſumq́; etiam atq; etiam cupere e medio ſublatum. Inter quos præcipuè noui Illuſtriſſ. Dominũ, Dominũ Petrũ de Boſco Iuonis, ſanguinis nobilitate ac diuitiarũ gloria inter Armoricos admodũ clarum, pietatis verò ac purioris religionis ſingulare exemplũ. Hic dũ multos inſumeret labores in ijs cõponendis diſſidijs, quæ falſa huius perſuaſionis occaſione, inter patriæ noſtræ nobiles ſubinde coriebantur, ſæpius atq; iterum de ſtultis iſtis puncti honoris cõmentis, apud me conqueſtus eſt, meq; hortabatur opuſculum aliquod in tam ſtultæ erroneæque opinionis confutationẽ molirer, atq; conſcriberem, exiſtimans niſi prius error iſte è cordibus auerruncaretur nobilium, nulla alia ratione fieri poſſe, vt eorum monomachijs, & diſſidijs optatus imponatur finis. Donec enim (inquiebat ipſe) perſuaſum habuerint in iſto puncto ſummam conſiſtere honoris, nullo generoſi eorum animi coerceri edicto poterunt, quin eius conſequendi aut conſeruandi cauſa in ſe inuicem mutuis deſæuiant homicidijs. Quod cũ ita ſe habere perſpicerem, atq; eius illuſtriſs. D. plurimũ debere me agnoſcerem, conſcripturũ me aliquid aduerſus tam impiè graſſantem errorẽ, in illius gratiam recepi. Cumq; in exi

gen-

gendo quod promiſeram, importunus, aſſiduuſque eſſet, tandem grauioribus licet tunc occupato negotijs extorſit tamen con futationem hanc dicti erroris ſuccisiuis conſcriptam horis. Quam quia in nobilium gratiam & vtilitatem ſcribebam; qui non omnes latinè ſciunt, imò quorum aliqui honorificum exiſtimant bonas neſcire & contemptui habere literas, ideò Gallica primum vulgari lingua ædita à me fuit, an nos ab hinc circiter decem, cùm tribus ſibi eiuſdem materiæ adiunctis Dialogis, quibus, tum dictum errorem confuto, tum varijs ſalibus nobilium conſpergo, & effuſiſſimè irrideo ſtultitiam, qui huius puncti Honoris gratia, & animam, & corpus, & bona ſua temporalia, & amicos continuis, leuiſsimiſque ſæpius ex cauſis exponunt periculis. Hos libros cum multi viri docti plurimum commendarent, vtileſque fore non ſolum Gallis noſtris, ſed exteris quoque quibuſque nationibus aſſerent, ſi Latino etiam ſermone ederentur n lucem, eorum ſequutus conſilium, con-ıtatoriam orationem Latinam nunc vois beneuoli lectores legendam expono, cer mihi perſuadens, oēs eos, qui pio & Chriiano animo eā legerint, noſtraſq; expēdeıt ratiōes, fieri nō poſſe, quin & ipſi mecū rniciosiſsimū hunc errorem deteſtaturi

ſint,& deinceps reiecturi. Vos autem rogo, hos noſtros labores pro Reipub. vtilitate aſſumptos,æqui boniq́ue conſulatis. Hanc confutationem ſi gratam vobis fore ſenſero,dialogos ſupra nominatos habituri quoq́ue Latinos eſtis,vbi primum nobis per otium licuerit,politos priùs & limatos, calcographorum manibus committere. Interim vos iſtis in Chriſto fruimini, quæ ſola nunc dediſſe potuimus.

CONFVTATIO PVNCTI, QVEM VOCANT HONORIS, SVPER QVO CONTENtionum monomachiarum, ſiue duellorum ſuorum fundamenta Chriſtiana hodie nobilitas iacit, in quo de vero falſoque diſputatur honore.

QVOTIES mihi in mentem venit humanæ conditionis & naturæ: quoties homines transiliÿſſe primæ viuendi legis terminos, quam vniuſcuiuſque noſtrum mentibus natura parens inſcripſerat: quoties à priſtina æquitatis norma vſq; adeo aberraſſe animaduerto: & eò dementiæ tandem perueniſſe, vt eos longè fortiſſimos ac præſtantiſsimos viros arbitrentur, nec honoribus modo in præſens cumulandos, verumetiam immortalitati conſecrandos, qui pluribus iniuſtè cæſis, ac nefariè trucidatis: Vehementiùs quatiunt, atque impetunt humanæ ſocietatis tranquillitatem, & concordiam: ſatis mirari nequeo, homines ingreſſos iter tam deuium, tam alienum

abs recta rationis ſemita, quæ nos à cæteris animalibus ſola ſeparat, ac diſiungit, & compendioſo virtutis tramite, ad veri honoris auguſtiſsimum ſacrarium comitatur, & ducit, quò nos ex noſtra ſponte, & generoſi præſtantiſq; animi inſita cupiditate rapimur, cogimur. Enimuerò exuta ferè humani ingenij præſtantia, homines tam nullam, aut exiguam eorum rationem habēt, quæ nobis natura dictat, & præcipit, vt ſummam honoris non in ſalute hominum, ſed pernicie, collocarint: non in laudandis, ſed vituperandis bonis: non locupletandis, ſed opprimendis: nō ſanandis ſed ſauciandis: non ſeruandis, ſed perdendis ciuibus: non in moderatione, atque clementia, ſed crudelitate, atque furore, & in id genus alijs rebus ab humana natura & ratione procul ſemotis. Quæ res tum videbitur atrocior, cùm primæ ætatis origines, & proxima originibus ex annalibus veterum ſcriptorum petita, in memoriam reuocabuntur, qua non ita procul aberant mortales ab ijs rectè viuendi finibus, quos naturæ pares delinearat: atque ij, quos noſtra vidit, & patitur ætas. Nam quamdiu aurei ſeculi tempora florebant

rebant, homines ſupra quàm cuiquam cre dibile eſt extra omne vitæ ſuæ, dignitatis aut rerum periculum viuebant, propterea quod primæ conditionis ſuæ memores, naturam ſecuti ducem, procul ab omni ſcelere viuerent, paucis rebus contenti, ijſque quas terra nullius ferro violata affatim ſuppeditabat: & quæ erat inter eos vitæ ac morum coniunctio, res omnes inter ſe liberaliter communicabant atque vt communicarent lege naturali impellebantur, cogebanturque. Quæ cauſa fuit, vt de ijs, quæ falsò bona appellamus, nulla eſſet, inter homines controuerſia, & quòcuique libitum eſſet, eò proficiſceretur, nihil omninò metuens aut fortunis aut vitæ, aut dignitati, quod nullus eſſet vſquam locus, vel periculis, vel hominum iniurijs expoſitus, nec enim ipſi dum exuerant rationis imperium, nec mentis aciem hebetarant inanes impetus honoris, voluptatis, auaritiæ, amoriſq́; bonorum vitæ huius, ſi ita appellanda ſunt, fragilis & caducæ. Nondum immanes hi tiranni, Meũ, et Tuum, orbem terrarum inuaſerant, nondum humanæ vitæ quietem perturbarant, nondum euerterant. Nullus tum erat in orbe

gladius,pugio,lancea,non bombarda, non lorica,non galea,non caſsis. Nullum in terris ferreum monſtrum,nec homo, cui pellis ferrea,caput æreum, cui ex chalybe cornua,cui manus & pedes ſquamei: nullus,qui ſerpentes,drachones, aut crocodilos horrenda illa corporis effigie repræſentaret, nec erat quod homines hanc perſonam,tum induerent, quia nihil erat alteri ab altero metuendum. Nuſquam reperire erat aut arces,aut turres,aut cinctas mœnibus vrbes,aut aggeres, aut vineas, nuſquam videre erat aut propugnacula, aut obſeptos portarum aditus, propterea quod hæc furiarum infernalium agmina ira,odium,inuidia,ſuperbia, ambitio, auaritia,luxuria,& huiuſmodi immania, horrenda.Bellonæ monſtra, cum non poſſent ſoluere ſuauem illam,quæ erat inter homines ſocietatē, intentatas eiuſcemodi munitiones, quarum propterea nullus erat vſus, reliquerant. Nihil vel atrox vel efferatum homines cogitabant: non detrectabant dulce rationis imperium. Nihil hominibus ita curæ erat, vt amicitia, coniunctio,beneuolentia:mutuus erat eo tempore inter omnes amor,mutuum auxilium

xilium, certa parendi, & imperandi vices. A nulla omnino re ita abhorrebant homines, vt à crudelitate, odio, inimicitia Nondũ procuratorũ, nondũ cognitorũ, nõdũ ſcribarũ, non dũ prætorũ aut aduocatorũ nomẽ in terris auditũ. Nemo intelligebat, quid ſibi vellent Imperatoris, Ducis, Tribuni militũ, Centurionis, Equitis, Peditis, nomina, ac poteſtas, quia ignotæ lites, contentiones, diſſenſiones: ignota bella, acies, prælia atque diſciplinæ militaris præcepta. Viuebant in ſumma tranquillitate rerum omnium, omnes rationi obtẽperabant, nemo vim, aut arma ſpectabat. Quantæ tum fœlicitatis erat, hominum numero recenſeri? Quam iucundum, videre homines inter ſe coniunctos, & indiſſolubili ſacroſanctæ amicitiæ vinculo ſociatos, quorum vita dignitas, bona, procul ab omni periculo collocata, hominum iniuriam nihil extimeſcebant? ſed O ſtupendam, & miſerabilem hominis viciſſitudinem & metamorphoſim. Nam ſimul ac circæis poculis & amatorijs apparentium bonorum philtris maduit, quæ malus huius mundi genius miſeris propinarat mortalibus, vt in amorem earum re-

rum illos pelluceret, quas malè iucūdas honeſtas, bonas nominamus, totus, quantus temporis momento immutatus eſt. Homo enim omni bellua longè immanior factus manſuetudinem in crudelitatem, clementiam in ferocitatem, moderationem in duritiem, rationem in furorem, humanitatem in inſaniam conuertit, degenerauitq́; à priſci mitiſq́ue ingenij natura, in repentinam hanc ferarum immanitatem: Vt nec lupus poſtea lupi, nec Panthera Pantheræ nomen retinuerit, nec cenſendus ferox leo, nec crudelis Tigris, ſi cum homine comparetur. Hinc tritum vulgi ſermone prouerbium Homo homini lupus: quod ita nunc proh dolor cum veritate cō gruit, vt hac tempeſtate cauendum, & metuendū nobis ſit magis ab hominibus, quam ab feris vllis animantibus. Quid enim nauigans per mare nauta magis extimeſcit? an fluctus forſan ac tempeſtates? aut Syrtes & Charybdim? Hæc certè nequaquam tantum metuenda ſunt, quantum homines Pyratæ, qui nautæ curſum obſeruantes, eius tàm vitæ quàm facultatibus inſidiantur. Et mercatores, qui terra longè latèq́; vagantur: aut peregrini, qui pro-

cubi à domo, procul à patria abſunt, quid? an imbrem, an leones, aut lupos exhorreſcunt? Non, mihi credite, ſed homines, qui vt miſeros bonis ſpoliant, vitam illis quoque non rarò crudeliter auferunt. Quid? illi, qui domi ſuæ agunt, nec patria pedem efferunt, ſed intra vel extra vrbem habitant quid timent? quid metuunt? Viuere quidem illi inter Penates ſuos bene beateque poterant, & debebant, ſi per auaros id & crudeles homines licuiſſet, qui eos nunquam ſecurè viuere patiuntur, ſed vitæ ſuæ metuere perpetuò cogunt. Animaduerte enim mecum, ſi lubet, vt turribus, mœnibus, vrbibus, propugnaculis diſtinctus hic, quem habitamus, terrarum orbis ſit & quare, qua cauſa diſtinctus? quæ metus cauſa? nam ſpecies iſta, multitudo, ſublimitas, propugnaculorum moles atque arcium, indicio ſunt metus cuiuſdã magni, & incredibilis. An igitur extructæ aduerſus vim, & rabiem luporum, vrſorum, leonum, tigridum, Pantherarum, Leopardorum, Crocodilorum? Minimè verò, ſed contra hominum inſultus, qui ferè omnes nihil agunt, nihil aliud moliuntur, quàm vt ſibi mutuo & vitam, &

bona, & ornamenta adimant. Quare multo magis ea perhorreſcimus, quæ nobis homines machinantur, quàm ea, quæ aliunde euenire ſolent: quia ſiue quis domi eſt, ſiue militiæ, ſiue in agro, ſiue in foro, in loco ſiue publico, ſiue priuato, diligẽter cogitat, & cogitare dies, ac noctes cogitur; Vt ne hominum conſilijs oppreſſus collabatur, qui ingenti ſcelerum agmine cincti, vitam hanc noſtram miſeram, & citò interituram, tenent obſeptam vndiq́;, ac nullo non tempore quatiunt, atque oppugnant vi, dolo, malis artibus, latrocinijs, furtis, direptionibus, calumnia, fraude, querelis, ægritudine, cura, anxijs diſputationibus, inimicitijs, probris, inuidia detrectatione, maledicẽtia, dedecore, mendacijs, periurio, ſuſpicionibus, tyrannide, ſeruitute, exactionibus, ambitione, odio, ira, auaritia, arrogantia, coniuratione, violenta morte, & id genus alijs, ab ipſis nefariè excogitatis, quæ omnia nos in perpetuo mæſtoque queſtu, & lachrymis retinent, dum varijs calamitatibus icti, lugemus ademptionem bonorum, vitæ, dignitatis, vel noſtræ, vel affinium, vel amicorum: ſed hæc non ab alijs, quàm ab homini-

minibus orta in caput noſtrum retrò feruntur. Quis enim vnquam eſt queſtus exutum ſe fortunis, ſpoliatum ornamentis, coniectum in vincula, læſum virgis, aut veneno, niſi ab hominibus, ſublatum? Quoties audiui hominem pulſatum, ſauciatum, trucidatum, toties cohorrui, cum interroganti mihi quis tantæ crudelitatis, quis tam nefarij ſceleris auctor extitiſſet: Hominem extitiſſe reſponſum eſt. Hic verò ego, Deus bone, quæ hæc miſeria eſt? Nihilne homini tutum in ſocietate hominum? lupi inter lupos, leones inter leones, trigides inter trigides placidè & ſecurè viuunt, vnus ex omnibus animantibus homo cõſuetudinis ſuauiſſimæ expers, inter honores in perpetuo vitæ periculo verſatur: à primæ conditionis noſtræ perfectione & ſtatu ita mutatus, vt noſtras non modo opes, & ornamenta attrectent, verumetiam corpus violent, lacerent, trucident. Sed tolerari hæc quamuis horrẽda poſſent, niſi ſcelerato hominum conſenſu furiarum princeps, cui Bello nomen fecere in orbem terrarum eſſet introducta, quæ ſecum omne crudelitatis, inhumanitatis, impietatis genus inuexit, vt nobis omnem

tutò tranquilleq́; viuendi ſpem adimeret, quibus in hoc exilio conſtitutis, nec animi tranquillitatem reliquit. Quare quoties de Bello cogito, toties toto corpore contremiſco, ita animum angit, atque cruciat ſola belli ſpecies & imago. Quid enim tàm miſerabile, atque horrendum, quam infinitam hominum multitudinem accingi videre ad pugnam, educi in aciem, conſerere manus, & in mutuam perniciem, nō ſecus ac canes in rabiem coactos conuerti, idque leui plerunque ac nulla de cauſa, veluti de tumuli ex lapidibus luto interiecto coagulati hoc eſt, caſtri alicuius aut arcis poſſeſſione? vbi videre eſt, homines immanitate feras vincere atq; ſuperare. Quid enim, an fando aliquando accepiſti eiuſdem ſpeciei belluas in globum actas, diſtributas in cohortes, cōcurriſſe inter ſe ac dimicaſſe? Non opinor. Sed ſocietatem iniiſſe, atque in vnum locum conueniſſe, arcēdi communis periculi cauſa, Plinius memoriæ prodidit. Quæ tanti inter homines & belluas diſcriminis occaſio? Non alia, quàm quod hæ naturæ ſuæ principia nunquam violarint, homines à natura in immenſum aberrarint. Poſtquam enim Caceda-

codæmon præſtigijs, & inani ſpecie bonorum in illecebras illos pertraxiſſet, mundum vniuerſum in rete conuertit, quo egregios bellatores exciperet, qui in omne periculi genus cæci ruunt, vt fugientibus ijs rebus fruantur, quæ eſſe bona, & dignitatis ſuæ ornamenta, ſibi falsò perſuaſerunt: Hæc.n tam periculoſæ aleæ præmia ſunt, nec animaduertũt: quanto id fiat, & ſuo & Reipub. incommodo. Non abs re fore arbitror, ſi hoc loco homines cum militibus comparem, qui vrbem opulentam diripiunt, inter quos ea direpta, diſcordia primum, deinde pugnæ oriuntur, vt ad quem maior pars prædæ ſpectat, Marte iudice decernatur: nam eodem modo homines terræ orbem populantur, & fœdãt incendijs. Vbi obſeruare licet inter luctum & querelas, inter forenſes, & militares actiones, infinitam hominum multitudinem vulnerari: trucidari, quæ non modò re ipſa, verumetiam cogitatione animos excruciant Verè enim à neſcio quo Platonis diſcipulo dictum conſtat, nihil eſſe in terris, quod boni, pulchri aut veri nomine dignum ſit ea enim quæ ſenſus noſtros apparenti quadam dulcedine titillant, ac

ſpecie

ſpecie quadam illiciunt voluptatis, nequaquam, verè iucūda ſunt, honeſta, aut pulchra, ſed horum inania quædam ſimulachra tametſi huius mundi genius, vt eſt præſtigiator inſignis, erexerit hæc ſimulachra, tāquam veras boni, pulchri, & honeſti ſpecies, atque ita fuco inquinauerit, vt vere eiuſmodi hominibus tales eſſe videantur, cuiuſmodi finguntur: Hinc facile falluntur, qui vel ſuperbia, vel auaritia, vel libidine in huius poteſtatem peruenerunt: Vt ex his, quæ ſequuntur D. Ioannis, facilè colligitur. Nolite inquit diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo, quoniam omne, quod eſt in in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & cōcupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt, & mundus tranſit, & cōcupiſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Verè quidem ille, quia homines nec inuiti, nec difficilè, recti ſpecie decepti, in mille pericula & horrendos huius vitæ caſus præcipitantur, quippe qui inflammati rerum amore caducarum, vt cupiditatibus inſeruiant ſuis, ad eas ſtolidè feruntur, quibus ita ſe totos dicant, atque

dedunt, vt cùm rationi bellum indixerint & perturbationibus animi rapiantum, mutuam neceſſitudinē abrumpant, quā ſi iј eſſent, qui profectò eſſe deberent rebus omnibus longe anteferrent. Qua ratione fit, vt alter alterius conſilia occupet, ita compoſitus, vt cuius vitæ inſidiatur, eius conatus nihil ad ſe pertinere fingat. Sic enim nullo repugnante inuadit in vacuā bonorum poſſeſſionem, & ea arripit, quæ videntur vel honeſta, vel iucunda, pro vt in hanc vel illam partem, ſua quemque voluptas, quæ nunquam eſt vna, aut conſentiens, trahit. Nec quid, aut quātò aliorū malo id, quod agit, ſed vt agat modò & repetita potiatur etiā atq; etiā curat. Itaq; vt riuales, nec in pace, nec in ſecuritate ſic nec homines in firma concordia, nec in perpetua amicitia perſiſtunt. Nihil igitur obſtat Cacodæmoni, quo minus graſſetur in oēs, perturbetq; humanæ ciuitatis ſtatū: vſq; adeo homines moleſtos, difficiles, moroſos, ſeditioſos reddidit, habendi, quæ citò amiſſuri ſumus, cupiditas. Et nos ſine lachrymis audimus, legimus, homines earum rerū cauſâ, quæ in manu et poteſtate fortunæ collocatæ, momento temporis

concidunt, atque collabuntur, in cædem ruere, in mutua armari viſcera, & vetuſtam antrophagorum hiſtoriam re ipſa comprobare, multo atrociores ac ſæuiores lupis, leonibus, Tigribus, aliiſve beluis, quibuſcum hominibus bellum eſt: harum enim ferocitas in immani illa corporis mole, atq; robore ſubſiſtit, nec latius vagatur illis armis contenta, quæ à natura accepit; Illorum acerbitas, exagitata atq; impulſa furiarum facibus, repudiatis iis corporis munimentis, quæ natura dederat, terræ laceræ effoſſa viſcera attrectans, Chalybē, Aes, Ferrum eruit, vt caput, pectus, armos, brachia, crura, manus, pedes armatus, Iouis fulminantis, & tontāis perſonam ageret, prædamque interfectis impiè ciuibus reportaret. Hac via homines ad mortē properant, quaſi verò vitæ huius infinita ſpatia eſſent ac verius nulla, mors enim ita ceruicibus omnium imminet, inſtat, vt neminem tædere longioris vitæ debeat. Sed amabo te, vide quàm exigua, quàm nulla, quàm incerta pugnantibus & ad necem feſtinantibus propoſita præmia ſunt: Erit fortaſſe propoſitum terræ fuluæ vel niuei coloris, aliquantulum aut aceruus lapidum luto conſpur-

catus; his rebus vt annum, aut biennium fruantur, centum, ducenti, trecenti, mille homines omnes internecione delentur; qui verò cladi ſuperſunt, in eadem rerum quas tanto ſanguine redemerunt, poſſeſſione vix annua perſeuerant. Quid enim eſt aurum, inquit D. Bernardus, quàm terra fulua, & quid argentum quàm Alba terra & quid caſtrum aut arx, dico ego, quàm luti & lapidum aceruus? Nihil eſt diſcriminis niſi quod in illis natura, in his ars; originalem huiuſmodi rerum vilitatem abdidere. Etenim ars & natura, vt rerum ſuarum vilitates occultarent & ſordes, inuolucra neſcio quæ inuenerũt; quorum prima principia nihil cæteris præſtantiora, ſub illis coloribus abdita latent, nec ſecus metalla ex terra concreta ſunt; atque ex lapidibus & lateribus opera hominum atque arces conſtitutæ, dum hi lapides cædunt & luto interlinunt & arte quadam congerunt. Eo autem dignitatis gradu res ſunt, quo ab hominibus collocatæ conſpiciuntur, iudicaturque de præſtantia, & dignitate rerum, hominum ſententia, non naturali ipſarum valore, quam prudenter, non diſpuo. Certè ipſa ſo-

la

la homini opinio in cauſa eſt, cur res iſtæ, de quibus agimus tanto in precio habeãtur. Enimuero quod ad ſuperbas arces, & ſplẽdida ædificia attinet: videtur mihi diabolus, hominum cruenta certamina, vt iis potiãtur, nõ aliter irridere, ac nos puerorum pugnam riſu excipimus, de poſſeſſione earum certantium, quas ex lapillis & luto cõſtruxerunt domunculas. At verò abſque auro, & argento cuius immenſa cupiditate omnes flagrant, primi illi parentes noſtri, multis ab orbe condito annorum ſpatiis vixerunt, viuuntque etiam nunc innumerabiles populi, eo ſecurius, quò minoris ea ducunt: nam apud quos maiori in pretio ſunt eiuſmodi metalla, apud eosdem maioribus periculis ſubiecta & expoſita eſt vita eorum, qui his affluunt, abundant: id quod Satyricus his paucis, ſed grauiſſimis verſibus declarat. Iuuenalis.

Paucula ſi portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus gladium contũq; timebis:
Et mota ad lunã trepidabis arundinis vmbrã,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Id maris mediterranei inſularũ quarundam incolæ animaduerterunt qui ar-

dente Romanorũ & Carthaginenſiũ bello, trecẽtos amplius annos, nullius armis impetiti vitam tranſegerant, quod quarum rerum cauſa, bella geruntur, eas nec poßiderent, nec aliunde inuehi ad ſe paterentur: Satis igitur demonſtratum opinor, ab opinione hominum, aurum, argentum, et eiuſmodi alia pluris quàm par eſt æſtimãtiũ, oriri bella, naſci certamina, quæ res longè minoris cẽſendæ eſſent, ſi ſaperemus, quàm quas humi abiectas, pedibus conculcamus. Itaque illi incredibile videbitur, qui rerum precia æqua bilance ponderarit, homines, qui eas adamant, appetunt, inſana ſui vilitate ſe ſuaq́ue omnia tot calamitatibus, tot periculis exponere, vt res petitas parẽt, aſſequantur, nullum vitæ diſcrimen ſubterfugere, vt ijs fruantur: nihil intentatum relinquere, vt partas conſeruent: poſtremo in eos impiè ſæuire, quorum vita nihil charius, nihil pretioſius. Quis temporibus maiorum noſtrorum vnquam credidiſſet, homines fore tam nihil de ſe, aut Reipub. ſollicitos, vt inani rerum cupiditate tranſuerſi, abducti, pietatis, vitæ, corporis et animæ iacturã facere non dubitarent?

præſertim cum ſatis conſtet, & vſus rerũ oſtendat, hominũ vitã tã eſſe breuẽ, tã eſſe fragilem: fere enim fit, vt qui maximam vitæ partẽ in magiſtratib. gerẽdis in quærẽdis opibus, inſectandis vitæ huius illecebris conſumpſit, is diem ſuum primus obeat, eo tempore, quo rebus aſſiduo labore quæſitis, per quietẽ frui poſſet, de nulla re minus quàm de morte cogitans; quod eius exẽplo oſtendit Chriſtus cui in Eunagelio diuiti cognomẽ eſt. Is enim partis iam opibus, hunc ſecum ſermonem inſtituit. Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit, hoc faciã: Deſtruã horrea mea, & maiora faciã: & illuc congregabo oĩa, quæ nata ſunt mihi; & bona mea, & dicam animæ meæ? Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce comede, bibe, epulare. Dixit aũt illi Deus: ſtulte hac nocte animã tuam repetam à te: quæ aũt paraſti cuius erunt? ſic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. Haud ſecus is, qui in oppugnanda, & capienda arce plus operæ perdidit, plus ſanguinis profudit, iam capta dicto citius deturbatur, & ante primam lucem arx nouo poſſeſſore, aut poſſeſſor ar-

te ſpoliatur, quando mors importuna incauto obrepit, & captam arcem victori è manibus eripit, atque illi plerunque in poteſtatem tradit, quo cum victor capitales inimicitias exercebat: Sic quondam dux Barbonius in captæ vrbis victoria occubuit, à morte victus. Hic nec Democritus riſũ, nec Heraclitus lachrymas cõtineret, quoties viderẽt fugiẽtia iſta bona per ſequendi cauſa hoẽs omnia terreſtria, oĩa maritima loca per mare pauperiẽ fugientes, per ſaxa per ignes cũ sũmo vitæ diſcrimine peragrare. O amentiã hominum incredibilem? O pectora cæca, & vilitatem ſui ſingularem? Quæ hæc, vecordia, dicam an dementia eſt? Quis adduci poſſet, vt crederet homines in hac vita, quam Græci verè & benè diurnam appellant, ita orbem terrarum verberare, fatigareque bellis velle & ſeditionibus, vt immenſæ impotentis animi libidini morem gerant? Quanta voluptate perfundi hoſtem humani generis arbitraris, dum re nihili in medium collata, de ea ad necem vſque homines certare, atque digladiari cernit? Qua in re, cum proceribus Cacodæmonẽ comparare lubet, qui palmariam pilam

 inter

pit, cum eum cras aut cadere in acie, aut in poteſtatem hoſtiũ venire videt? Quis eum ſine riſu intuebitur, qui ſubnixus opibus, atque honoribus paulo antè omniũ ceruicibus inſultabat, nunc ad extremam paupertatem, & ignominiam redactum, eadem cum eo conditione viuere, quem mortalium omnium miſerrimum is ipſe pronunciarat. Neoptolemum hiſtrionem tragœdiarum interrogabat quiſpiã, quid nam ab Aeſchilo aut Sophocle, aut Euripide dictum admiraretur. Cui ille: Nihil quidem iſtorum ſe in admirationem trahere. ſed quod ipſe vidiſſet Philippum Cleopatræ filiæ ſuæ nuptias magnificè celebrantem in ſcena ampliſſima, cum tertiusdecimus Deus appellaretur, poſtridie in theatro iugulatum & proiectum. Cathaſtrophe certè vitæ eius nimium tragica. At ego quoties Boccacij de illuſtrium virorũ caſibus librum percurro, & incurro in miſerandũ infœlicis fœlicitatis mundanæ exitum, quã in voluptate, dignitate, opulentia, collocant, quò non niſi ingenti labore atque periculo via paratur, cum maxima hominum ſtrage, atque pernicie, & vnde poſſeſſores præter omnium opinionẽ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtatim deijciuntur: quoties, inquam, hæc percurro, non poſſum non extremæ amentiæ arguere eos, qui ſua, vel maiorum etiã virtute clari atque illuſtres, de re tamen & nulla, & citò peritura laborantes, tot vitæ periculis implicantur. Quod ſi id, de quo agitur ſtabile eſſet, aut diuturnũ, veniã fortaſſe digni eſſent ſed quia nõ ſecus diuitum atque pauperum vita morti expoſita eſt, & horum lenior non raro mors quàm illorum, ſummo is certè vel errore, vel ſcelere obligatur, qui de nihilo cum certet, corpus, animam, bona, amicos, ſecũ in perniciem trahit, ac quod multo grauius eſt, vt quod ſequitur, aſſequatur, breui quidem periturum, ita in homines graſſatur, vt non contentus illos opibus, & vitæ ſpoliaſſe ornamentis, vitam quoque ei, qui contra hiſcere audet, adimat: nam habendi cupiditas nequaquam eos ſub priſtino rationis imperio reliquit, ſed belluis lõgè ferociores, atque immaniores reddidit, vt per obſeruationes temporũ, quæ omnia detegũt, facile declaratur. Omnia namq; mala, quæ homines in hominem commiſiſſe audiuimus, quæ vidimus ab immenſa illa opum, & honorum cupiditate, vel libidine,

bidine promanarunt: qui enim rerũ cauſas explorat, is inueniet inter homines omnia bella, omnes ortas controuerſias à libidine, auaritia, ambitione, quarum vni, vel pluribus, miſeri ſe in ſeruitutem tradunt. Cui rei teſtimonio ſunt tot fuſi propter libidinem Helenes exercitus, tot populi propter ambitionem Alexandri internecione deleti: tot regna, tot vrbes, tot regiones propter auarititiam Romanorum direptæ, diuexatæ, vt ignobilium populorum Bella omittam, quæ omnia ex iiſdem fontibus ſcaturiunt. Quæ cauſa alia litium, atque controuerſiarum inter patrem & filium, matrem & filiam, fratres & cognatos, quàm magnificè, ſplendidè, laute viuendi cupiditas? In hac enim cum prodigiores ſint, neque ea poſſideant, quibus gurgitem illum cupiditatum expleant, neque etiam quæ cupiunt honeſtè parare poſſint, ius humanum, ac diuinum violant, & cum iniuria fratrum, atque parentum diteſcunt. Nihil eſt tam ſanctum, aut religioſum, in quod furacibus, & aduncis illis manibus non inuolent, ne quid omnino rerũ expetitarũ sũmæ deſit. Et vnde, quæſo, tot noſtris temporibus

furta, tot ſacrilegia, tot homicidia niſi ab his orta principijs? Hinc hinc profecto illæ lachrymæ: tametſi non ignoro, quod ſpecioſũ religionis, & Euangelij titulũ ſceleribus ſuis multi prætexunt; Impiè ſanè illi: Nam dulce atque lætum Ieſu Chriſti Euangelium, non ijs fœdatur crudelitatis latrocinij, furti, auaritiæ, Belli ſordibus, quibus nouum iſtud recens natum Euangelium depingitur; quod tot mala eos docet, qui in illius verba iurarũt, quæ qui nõ videt, cæcutiat neceſſe eſt. Et quis non tãdem agnoſcat ſicarium illum, & peſtem humani generis diabolum, tot malorum auctorem eſſe, qui artem tam præclaram diſcipulos miniſtroſq́; ſuos docuit? Eſt enim, in quãcunque tandem formam ſeſe verterint ſacrilegi, tot calamitatũ origo hominum auaritia, ſub dulci Euãgelij nomine cogitatum facinus occultãtium. Illa, illa inquã inſatiabilis habendi cupiditas de qua verè, dixit Apoſtolus (Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quã quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis) de qua et Poeta: Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames: Quod vſque adeò verum

rum

rum eſſe, vſus rerum oſtendit, vt nemo mortalium ſit tam ferus, tam ſceleratus, atque is, qui in auaritiæ, ambitionis, voluptatis cœno volutatur. Nec quanto ſuo plerunque malo rem petat, ſed vt voto potiatur tantum, noctes, & dies cogitat. Ab ijs igitur tam inquinatis fontibus, impuriſſimi deriuantur riuuli. Nam qui non contentus rebus ſuis, alienas ſpectat, is patri, matri, fratribus, ſororibus, nefarias manus infert, ædes ſacras diripit, veneno amicos tollit, familiarem prodit, in perniciem omnium coniurat, Terrarum orbem furtis, & incendijs vaſtat. Non hæc rei exagerandæ cauſa dico, ſed rerum hac tempeſtate ſæpius geſtarum memoriam refrico. Quis enim quæ ab hominibus ſcelerate geſta ſunt, geruntur que dicendo commemoret omnia, poſtquam inferorum cultu ſuſcepto, dederunt ſe furijs in poteſtatem? Hoc autem hominibus omnino indignum, harum ſcelerato cōſenſui ipſis conniuentibus, maxima clade omnium Rerumpub. ſtatus perturbari, hominum ſocietatem conuelli: Vos igitur, vos appello O furiæ, vos vitam noſtram tenetis obſeſſam tot curis, tot periculis. Vos

vos, inquam homines ad mortem ducitis, impellitis: Vos ſanguine humano homines imbuitis. A vobis iacta ſemina, unde tot inter homines nefanda facinora pullularunt Vos cultum, & metum præpotentis Dei mundo expuliſtis. Vos in exilium eieciſtis pietatem, religionem, iuſtitiam, innocentiam, integritatem morum. Vos ſuſtuliſtis è medio ius, atque leges. Vos pacem, amicitiam ab hominibus alienaſtis, quibus prælia, lites, diſſenſiones ſubſtituſtis. Veſtro, vt breuiter dicam omnia, cruore, & tabo commaculati homines, abrupta illa ſalutari conſuetudine, in omne crudelitatis, auaritiæ, libidinis genus erumpunt. Qui poſtquam in poteſtatem veſtram peruenerunt, nec rationi amplius naturæ, aut naturæ parenti morem gerunt Sed legibus à vobis de bello, & crudelitate latis, ſubſcribunt. Quam peſtilētem veneni luem, quas denſas ignorantiæ tenebras mētibus offudiſtis hominum? A vobis extincta ingenij noſtri lumina, obſcuratus legis naturæ ſplendor, quem Deus in animis noſtris impreſſerat, atque accenderat, vt huius claritate in tenebris vitiorum vteremur, de recta rationis ſe-

mita

mita ne aberraremus. Quid autem hæc docet? Quid oſtendit? vt quod fieri tibi non vis, alteri ne feceris. Quibus paucis verbis, qui vitam inſtituet, qui ante inceptum naturam conſulet, qui cogitata, conſilia, rerum principia, ſucceſſus, exitus huius arbitratu perpendet, nihil is faciet, nihil ambiet, quod non ſit cum ratione cõiunctum. Quare ſi quis à me petat, quid facto opus ſit, huic ego reſpondebo, antequam alterius ſalutem, fortunas, dignitatem oppugnatum eat, ſe ipsũ percontentur: Veliſne hoc tibi fieri? Minimè verò inquiet. Ego verò, ne alteri feceris igitur, quod tibi fieri non vis, reſpondebo. Quod ſi de eo adiuuando, fouendoq́; agatur, cui ad vitam omnia deſunt, hic tu tecum. Ego ne caſibus fortunæ oppreſſus, alterius opem expeterē? Maximè. Ergo mihi curādũ eſt, et quidē diligēter curādũ ne alteri quid eorũ deſit, quæ nos rerũ indigi peteremus. Si tibi per fortunā integrũ non eſt, vt egenis ſubuenias, ne noceas ſaltē, tibi per te licet. Hæc ratio eſt vitæ ad naturæ, ſiue Dei potius legem inſtituendā. Deus enim legem in animis noſtris impreßit tàm claram, tam illuſtrem, vt eam nemo non videat,

qui modò oculos ad cœlum attollit, ad quam ſi vita noſtra, tãquam ad amuſsim aptaretur, tot ſcelerum, tot rapinarum, tot malorum quæ audimus, atque perferimus, rumor breui ſopiretur: iure ſua homines repeterent, aliena non appeterent, rerum controuerſiam, amicorum arbitrio definirent: vim & arma feris animantibus permitterent. Humanitate niti, hominũ: vim experiri, belluarum eſt, quæ quid deceat, quid dedeceat, non perſpiciunt: Homines quibus à Deo immortali, cõceſſa eſt ratio vera à falſis dijudicandi, nequaquã venia digni ſunt, ſi rationis imperium vbi tempus, vbi occaſio id requirit, ſtultè reſpuunt. Ac certe hæc vna inter humanæ naturæ calamitates longè maxima eſt, quod homines, terreſtrium rerum amore capti, nec ſecum ipſi, nec cum alijs idem ſentiant. itaque inuenies pleroſque pacis ſtudioſos, qui procul à domo, procul ab vrbe, inter belluas verſari, quàm in foro, aut domi inter homines periclitari malint, nec immeritò. Satius .n. fuerit incidere in leones fame maceratos, aut vrſos catulorum raptu ferocientes, quàm occurrere Martijs illis viris, & pugnandi ſtudio

dio flagrantibus. Dolendum eheu & vehementer quidem dolendum, hominem, naturam cum belluis mutaſſe, vt nemo ad hunc propius accedere audent, quin vitæ, bonorum, dignitatis periculum adeat. Quæ res in ſummam primum admirationem Philoſophos, & Poetas adduxit, cum mutationis tam repentinæ, tam diſcordis cauſa in tenebris adhuc abdita lateret: deinde vbi non aliam eſſe rei tàm nouæ, tàm incredibilis cauſam, quàm infinitam habendi cupiditatem declaratum eſt: multa ab ijs in vituperationem rerum mundanarum ad ſanandos animos, nequicquam ſcripta ſunt, vel quod vita eorum; & mores cum ſcriptis tàm præclaris non congruerent, vel quod homines remedia ſalutaria quidem illa, ſed inſuauia non admitterẽt: Tantum valuit contra doctorum hominum ſententiã falſa illa de bonis fortunæ opinio. Quare cum docti illi, & ſapientes viri operam perdere ſe atque oleum animaduerterent, optabant cœlitus in terras delabi numen aliquod, cuius ſplendore mundi huius tenebræ illuſtrarentur, cuius ductu homines ad ſapientiam & humanitatem reducerent.

rentur. Piè igitur Plato, cui diuino non abs re nomen obtigit, quemadmodũ bruta animantia niſi ab homine rectè duci non poſſunt: ſic nec homines bene regi poſſe affirmauit, niſi à Deo ducerentur: vnde neceſſariò ſequebatur fore, vt Deus è cælo in terram deſcenderet, hominibus rectè viuendi leges præſcripturus. Nec hoc tãtum Plato, verumetiam quæ ſequuntur ſub fine lib. de leg. ſcripta reliquit. Tantiſper meis documentis, inquit, & cõmonitionibus acquieſcendum eſt, donec homine auguſtior quiſpiam ſacratiorque ſeſe oſtentet in terrarum orbe, veritatis adyta fonteſque abſtruſos recluſurus, quem velut ducem in enarrabilem inſequantur omnes. Anſatis Saluatoris & legiſlatoris noſtri in terris aduentum Plato præſagiiſſe viſus eſt? Quod ſi non præſagijt, præuidit ſaltem hominum mores, ac priſtinã naturæ normam, niſi abs naturæ parente non poſſe reuocari. Vt enim omnia tentarent priſci illi viri, ſapientiæ ſuprà quàm credo par eſt, ſtudioſiſſimi, vt virtuti omnia poſtponerent, hominibus nunquam perſuadere potuerunt. Hinc ea tempeſtate tot bella geſta vt nemo à lachrymis abſtinent;

neat, qui ex lectione hiſtoriarum obſeruat tot populos extinctos, tot vrbes deletas, tot vaſtatas regiones, tot direptas Prouincias, ab ijs, qui ab ambitione, auaritia, voluptate manucapti, vt impotentiſsimis dominis gratificarentur, quamplurimos homines vita, fortunis exuerũt: nec vllam ſalutis alienæ rationem ducebant: ſed vt gnauiter ſuis cupiditatibus inſeruirent, laborabant. Audiuiſti vt ſparſa inter homines à Cacodæmone diſcordiarum ſemina, vt ante redemptum orbem eius conſilijs oppreſſi, miſeri mortales arma cœperint, accepta in mutuam perniciem conuerterint.

CAP. SECVNDVM.

SAtis cõſtat; præpotẽtẽ illum cœli, terræ, rerumq́; omnium creatorem, cum animaduerteret homines in grauiſſimos errores incidiſſe, non aliam magis ob cauſam, quàm ob neglectas, violatasq́; naturæ leges, humanarum calamitatum miſertum miſiſſe ijs viuendi magiſtrum, ductoremque filium, vt eius maximè auſpicijs patefacta ad iuſtitiam ſemita, recta ad veri honoris ædem deducerentur. Is cũ

in terras deſcendiſſet, non modò virtutis viam vepribus, & ſpinis obſeptam repurgauit, ſed vt ne quid nobis, in poſterum difficile, aut horridum videretur, ipſe ſuperatis difficultatibus, primus legibus obediuit: Detexit etiam fallacis huius mũdi inſidias, vt intelligerent omnes, quibus artibus circumuenti, omiſſo ſummo bono, ea ſectarentur, quæ ne bona quidem appellanda ſunt, & abruptis ſacroſanctæ amicitiæ vinculis à ſe mutuo diſſentirent. His artibus leges oppoſuit, quibus ſi parere volumus, perpetuæ inter homines amicitiæ, & paci, abundè proſpectum eſt. Videamus igitur (ſi modi vacas animo, nec habes, quod huic lectioni anteponas) quomodo humani generis tranquillitati conſultum, quo pacto labenti priſtinæ diſciplinæ obuiam eundum: Ac ne quid nos remoretur, Saluator noſter, qua humanitate in nos fuit, ea facilitate viam aperuit, quæ ad ſalutem eſt, & tranquillitatem votis omnibus expetitam: Tulit enim leges quaſdam perbreues, iam antè à natura in animis noſtris inſculptas, ſed hominum vitio deletas magna ex parte, & abrogatas. Has intellectu haud diffi-

ciles;

*eiles breuitatis cauſæ ad duo capita redu-
xit, quibus nihil aliud iubetur, quàm vt
diligamus Dominum Deum noſtrum ex
toto corde noſtro; & proximum noſtrum
ſicut nos ipſi. Quæ præter hæc in Euange-
lio reperiuntur, ea nequaquam ab his di-
uerſa, ſed horum ſunt enarrationes quæ-
dam: Omnia enim legum præceptã; om-
nia Prophetarum oracula, ad duo hæc ca-
pita referuntur, ab eiſque pendent. Qua-
re ſi duabus hiſce legibus vita noſtra gu-
bernetur, nulla erit inter homines diſſen-
ſio, nulla diſcordia, nullius mali metus. Pri
mum igitur, vt leges tum vtiles, tum etiã
neceſſarias, fuſius enarremus, quæ nos v-
tilia, iucunda, ſpetioſa appellamus, ea om-
nia vt diuino cultui longè poſtponamus;
iubet, præcipit, nihilque omnino boni hu-
ius vitæ alicuius cauſa faciendum, nihil
dicendũ, quo facto aut dicto Deum offen-
das. Deinde eo nos vult animo in proxi-
mos, quo ſumus ipſi erga nos, hoc eſt, vt ea
præſtemus alteri, quæ ab altero expectà-
mus, vt alteri ita ſuccurramus, quemad-
modum nobis ab altero ſubueniri poſtula-
mus. Alterius corpus, bona, famam ita
incolumen eſſe velimus, vt res noſtras ſal-*

uas eſſe volumus, vt à quoquã læſi, illi ignoſcamus, nõ ſecus ac nos errati veniã, ab ijs, quos læſimus, flagitamus. Quemadmodum præ cæteris rebus, noſtra nobis vita, ſalus, dignitas, curæ eſt: ſic poſt Deum opt. Max. aliorum fortunæ & ornamenta nobis cordi ſunto. Quemadmodum, quæ in fortunæ poteſtate vti loquuntur ſunt, ijs ſalutem noſtram longè anteponimus, cum nemo reperiatur tam amens qui oblatis Indorum opibus, vitam deponat, non ſecus hominum incolumitas longè pluris apud nos eſſe debet, quàm ea quæ falsò iucunda, honeſta, vtilia, nominamus: quippe qui ad imaginem, ſimilitudinemq́ Dei immortalis facti, creatiq́ ſunt. Si enim eadem omnibus æternæ vitæ præmia, pro quibus fruendis naſcimur propoſita ſunt, omnes proculdubio neceſſe eſt, ijſdem fœderis, & amicitiæ legibus colligari, quippe qui eiuſdem itineris comites ad eundẽ locum feſtinamus. Itaque DEVS Opt. Max. quæ eſt fratrum atque amicorum, eam omnium inter ſe neceſſitudinem eſſe voluit non fictam, aut fuco vllo adumbratam, ſed detractis omnibus ſimulandi, diſſimulandique pigmentis, nudam & veram

veram, qualis eſſe ſolet inter eos, qui ex eodem vtero in lucem editi, quorum alter alteri auxilium ferre, vim illatam propulſare ſolet, ac debet: Nec in re perſpicua alio nitar, quàm Chriſti teſtimonio: Is nobis certò affirmauit, Patri ſuo rerum omnium moderatori, nihil gratius nihil acceptius perpetua, & ſtabili hominum concordia, vt ex ijs facilè liquet, quæ pacis ſtudioſis infinita pollicetur. Primum enim ſe in eorum fore conſortio oſtendit. Vbi enim ait, ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, &c. Hinc vulgo dici ſolet, Vbi charitas & amor, ibi deus eſt: ſecundò, inter quos eſt conſentiẽs, atque eadem vitæ conſuetudo, eorum preces Patri cœleſti acceptas fore declarat. Iterùm inquit, dico vobis, quia ſi duo ex vobis cõſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt: &c. Deinde inter eos & Deum has eſſe fœderis conditiones vt cum Deus patris loco, ipſi filiorum cenſeãtur. Beati, inquit, pacifici, quoniã filij Dei vocabũtur. Et iterum, Ego aũt dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequen-

tibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt. Poſtremo inter diſcipulos ſuſcipiet pietatis ſtudio formandos, atque inſtituendos. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicē. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Quare qui à ſe mutuo ſemper diſſident, atque diſſentiunt, Dei, nec filij, nec diſcipuli, ſed ex Diabolo nati, & illius filij
Ioan. c. 4. ſunt. *Qui enim non diligit fratrem, Deū amare qui poteſt? Si quis inquit dilectus diſcipulus dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt: qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrē ſuum.* Et inter ea, quæ nobis reliquit Deus legum capita, hoc vnum eſt præcipuum, quod qui Deum amat, & fratrem amet. Quare ſi D. Iohanni credimus, Nemo Deum amare poteſt, qui fratrem non diligit. Ergo qui proximum odit, Deum odit. Quicunque odio macerati ſqualent, Deo, & hominibus inuiſi, non à Deo in ſocieta-

cietatem, ſed à Diabolo mendacij patre recipientur D. *Iohanne teſte. Qui non diligit inquit, manet in morte, Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, & ſcitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. &c. De diabolo autem ait B. Iob 41. b Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Res eſt ergo deteſtanda, & magno cum periculo iuncta, in in odio verſari proximi, maxima autem ſecum afferi bona vel Deo aſſerente, mutua hominum pax & dilectio. Vnde videre eſt, vt Deo curæ ſit tranquillitas noſtra, & vt è re noſtra ſit mutua illa neceſſitudo, atque concordia. Sed quia reperire eſt homines lingua, & animo feroces, difficiles, inquietos, moroſos, horum factionibus, ne quid in Rep. Chriſtiana turbaretur, cauit, ac ne quis alteri moleſtior eſſet. Æternæ etenim mortis pœnam in illum ſtatuit, qui fraternam hanc beneuolentiam, atque neceſſitudinẽ, vel ſolo verbo tentaſſet. Ego autem inquit dico vobis, Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui aũt dixerit fratri ſuo racha, reus erit conſilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. &c. Hebræ*

1. Ioan. 3

Ioan. ca. 4

oſ verò antecellere nos humanitate opor-tere, ſic oſtendit. Dico autem inquit, vobis quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Animaduertis iam, vt in his puniendis perſeueret, qui corde vel ore ad diſcordiam & iram fratrem prouocarit. Etenim vt omnes intelligant, quàm illud hominum genus Patri cœleſti ſit inuiſum, hunc cum diſcipulis ſermonem inſtituit. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio &c. Quæ res ne leuior cuiquam videatur (quid namque grauius dici, aut cogitari poteſt, quàm noſtra non modo munera ingrata fore, verumetiam nos ipſos aditu congreſſuq́; piorum arceri) in hæc verba prorumpit. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat

te ad-

te aduerſarius iudici, & iudex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. His ambagibus ſatiſne explicaſſe videtur, dum itineris huius, in quod ingreſſi ſumus, difficultatibus immoramur, redeundum cum iјs, quos offendimus, vel à quibus læſi ſumus, aliquando tandem in gratiam, ne cauſa apud ſupremum iudicem ex tempore dicēda, de morte æterna periclitemur? Horrēdum enim eſt incidere in manus Dei viuentis, vt ait Apoſtolus: Non igitur ita leue eſt, ciuem offendiſſe, atque vulgo ponderatur. Immo ſi Chriſto optimo atque ſapientiſſimo legiſlatori morem gerimus, ſi mortis æternæ pœnam euitare cupimus, eorum beneuolentiam captabimus, qui iā iam niſi feſtinamus, capitis nos arceſſent. Hos etiam ne in condonandis illatis ſibi iniurijs difficiliores ſint plus æquo, hominum fragilitatis admonuit, quibus, quod à pueritia proni ſint in vitia, & facile in errorem impingunt, nóſque lædunt, irritant, offendūt (Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua) non ſepties ſolum in die

Matth. 18. *ſed ſeptuageſies ſepties ignoſci, inquit Euangeliſta, clamat oportere. Accedens Petrus ad eum, dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vſque ſepties? Dixit illi Ieſus, non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Et apud D. Lucam: Si peccauerit inquit in te frater tuus, increpa illum: et ſi pœnitentiam egerit, dimitte: et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die cõuerſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi. Quod ita interpretor, ac ſi dicat toties pacem cum eo ineundam, quo cum inimicitias gerimus, quoties rei dubiæ cõtrouerſia, æquitati noſtræ permittitur diiudicanda. At ne quis difficilior ſit in condonandis, Deo iubente aduerſarij iniurijs, non modo acerbitate pœnarum ab inimicitijs deterruit malos, verumetiam bonos ad remittendum & condonandũ proximi in nos peccata præmijs accẽdit. Qui enim vel exigua ictus iniuria, mitem ſe atque placabilem aduerſario præſtiterit. eamq; illi remiſerit, huic maximas Deus pater offenſas condonat. Audiamus igitur, vos appello peccatores, audiamus Dei filium, ea de re verba facientem. Docebat*

Luc. 17.

forte

fortè diſcipulos cum cætera præclara, tum illud ad ſalutem omnino neceſſarium, Placari Deum non niſi hac æquiſſima conditione poſſe; Si enim inquit dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata. Et apud Marcum. Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus aliquē: vt & pater veſter, qui in cælis eſt dimittat vobis peccata veſtra. Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in cælis eſt dimittet vobis peccata veſtra. Videtiſne vt Chriſto curæ ſit, redire nos cū aduerſarijs in gratiam, vt facilè ſit impetrare peccatorum veniam? Si ergo clementia atque moderatione Deus nobis conciliatur, redimiturque nullo noſtro merito tāque parabili medio, quod in Deum peccauimus, de ſalute ſua non laborat, qui de reditu, cum aduerſarijs in gratiam non cogitat. Quæ cauſa longè pluris à me æſtimari, quam à nonnullis ponderari ſolet: nam qui facilitate, & altitudine quadā animi ſimultates deponit, quas cum aduerſario exercebat, nihil eſt, quod poſt

Matth. 6.

Mar. 11.

mortem metuat, ſed ſi mentem, & orationem ad Deum conuertit, in diuinæ bonitatis miſericordia certam ſalutis ſpem collocare poteſt, imo & promiſſam à Christo exigere veniam, qui ſuis ſemper promiſſis ſtat: Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea, inquit, nõ tranſibunt. Arripiamus igitur hac æquiſſima conditione ſingulare iſtud beneficium: Infinitis calamitatibus expoſita eſt vita noſtra, nos fœdis ſceleribus deturpati, vt inductis ſceleribus vita noſtra, extra omnem fortunæ aleam ſtatuatur, redeamus aliquando cum inimicis in gratiam. Nam qui inimicis grauiter iraſcendum putant, horum ſpes qua peccatorum ſuorum veniam à DEO expectant, nequaquam firma, aut ſtabilis, aut efficax eſſe poteſt. At ne quid nos fallat, qui dixit, Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra, is etiam dixit, Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Hæc igitur impetrandæ veniæ lex eſto. Odit, mihi credite, Deus illud hominum genus immite, durum, & in exercendis inimicitijs aſſiduum, vt facile declarat, cum negat, ijs ſe

peccata remiſſurum, qui aduerſarijs iniurias non remittunt. Nec modo ſi quid nobis promittit, verumetiam ſi quando minatur, ſtandum & credendũ æqualiter vtriſque Chriſti verbis eſt. Itaque hoc ſit nobis axiomatis loco, quod nemo reijciet, niſi ſimul Chriſtiani mores cum nomine exuat. Peccatorum remiſſionem à Deo impetrare nemo poteſt, niſi aduerſario peccata remiſerit, atque condonarit. Hoc impugnet qui volet: at ſine manifeſto impietatis crimine non labefactabit. Nam oppoſitum aſſerere, Deo mendaciũ impingere eſt. Qui igitur in iram, & vindictã proniores ſunt natura, priuſquam incipiant, quid facto opus ſit, etiam atque etiã cogitent; Quod cum facient, tum illis hoc quoque veniat in mentem, Deum nec fallere quemquam, nec apud Deum excuſationi locum fore, at æquitati. Atque ea quidem erit Dei ſumma æquitate, temperata clementia, quam fore nobis Chriſtus Dei filius prædixit. Cætera igitur dũ obſeruant, hæc ne negligant. Nam vix alio ita offenditur Deus pacis amantiſſimus, atque eorum ſcelere, qui tumultus & belli authores cum ſint, tum nullas prorſus

ſus

ſus pacis conditiones admittunt. Contra de ſuo iure ita decedit, vt omiſſa læſæ maieſtatis actione, qua æquiſsimè nobiſcum expoſtulare poterat dictorum, factorumque memoriam aboleri patiatur. Si pro hoſtili animo, mitem erga aduerſarios, & placabilem induamus: Ita ſanè ſatis oſtēdit: curare ſe, vt ne ſeditionum procellis, atque tempeſtatibus agitetur terrarum orbis, aut publica tranquillitas. Ingratos igitur nos & amentes, qui ne latum quidem vnguem. aut Chriſti exemplo, aut ob illius gratiam, de iure noſtro decedimus. Impunitatē iis pollicetur Deus, qui nihil immite, aut ſæuum in inimicos ſtatuunt. Contra, qui ſibi, cum nihil ſine manifeſta noſtra pernicie negare illi poſſumus, leues haſce offenſas condonari nolunt, in eos grauiter animaduertit. Primum enim quam conceſſerat ante extremum ingratitudinis, atque impietatis crimen, ante actæ vitæ indulgentiam atque impunitatem, ad viuum reſecat & reuocat, atque ſi nihil vnquam condonaſſet antea. Deinde in vincula coniectos, dum iuſtitiæ diuinæ ſatisfecerint, arctè aſſeruari, & exquiſitis tormentis cruciari voluit, quæ

fore

fore æterna ex eo colligitur, quod tam grãdi ære alieno oppreſſi, ſoluendo nunquam ſint futuri: At ne quis de ſententia clementiſſimi & æquiſſimi numinis queri poſſet, Chriſtus in re haud diſſimili apertè demonſtrauit, nullum eſſe pœnæ genus tam atrox, aut horridum, quod ingratitudinis non condonantis proximo Deo rogante magnitudo, atque criminis atrocitas nõ longè ſuperet, atq; excedat. Me miſerum? Cui omnia debemus, huic pauca peramanter roganti nihil concedimus? Et poſthac de pœna queremur? Sed Chriſtum loquentem audiamus. Aſſimilatum eſt inquit regnum cœlorum homini Matth. 18. *regi, qui voluit rationẽ ponere cum ſeruis ſuis: & cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta, (talentum ſexcentis nummis aureis æſtimatur) cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios & omnia quæ habebat, & reddi. Procidẽs autem ſeruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſ-*

Egreſſus autem ſeruus ille inuenit vnum de conſeruis eius, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum dicẽs; Redde quod debes, & procidens conſeruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: Sed abijt, & miſit eum in carcerẽ, donec redderet debitum. Videntes autem cõſerui eius quæ fiebãt, cõtriſtati ſunt valde, et venerũt et narrauerũt Domino ſuo oĩa, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illũ Dominus ſuus; & ait illi, ſerue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nónne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus sũ? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Hactenus Matthæus Apoſtolus. Hic qui incredibilem quæſtoris ingratitudinem in Dominum, duritiem in ſocium, & familiarem obſeruabit, non ne is æquiſsimæ Domini ſententiæ ſubſcribet? Sed audiamus quæ ſequuntur. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordib. veſtris. Aut cæcutio, aut hic tãquã in ſpeculo ſum-

ſummã ingratitudinẽ, ſummũ periculum eorum video, qui (quã alijs negant) errati veniam à Deo poſtulant. Et adhuc audes quærere, culpáne cum pœna quadret? quaſi vero non & vita hac, & domini liberalitate prorſus indignus ſit, qui ingenti ære alieno liberatus; ne exigua quidẽ nomina liberatori condonarit. Debebat domino quæſtor talentorum decem millia. Immenſa pecunia vis. Soluendo non erat, crediderat ſocio denarios C. ideſt. aureos decem, dominus Quæſtori decem talentũ millia ea lege remiſit, vt Quæſtor ſocio decem aureos condonaret: non condonauit, O cœlum, O terram. Sic & Deus actione iniuriarum, quam nobis remiſerat ea lege, vt aduerſarijs offenſas condonaremus, quia non condonauimus experiri poteſt. Huc ſcilicet illa de debitore 10000. talentorum longè petita referebantur, quibus fulciuntur fundamẽta orationis meæ. Agitatur inter theologos, num remiſſa ſemel peccata, per iteratum lapſum ad diuinæ iuſtitiæ eodem numero reducantur examẽ. Quicquid ſit, de alijs peccatis certè Chriſti teſtimonio fretus conſtanter aſſero, eũ qui proximo iniuriã ſibi illatã remit-

remittere propter Deum obſtinatè recuſari de omnibus ab eo commiſsis vnquam peccatis ſic puniendum eſſe atq; ſi nullum vnquam condonaſſet illi, idque propter ſuam ingratitudinem. Demus igitur operã, vos rogo atque obſecro, vt ne talem ingratitudinis notam non minus fœdam, quam periculoſam incurramus. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuẽtis. Hic non dubito fore cumplures, qui hæc cum mirẽtur, diuinæ ſeueritatis cauſas inquirant, quibus ego reſpondeo, longè magis mirandum, quod Deus, cum coercendos pœnis, & vinculis caſtigandos putat huius criminis reos, ita aſsiduus ſit in concordia hominum procuranda atque ſeruãda, quippe qui omnes belli, atque odij cauſas ſuſtulit, atque deleuit. Quæ cauſſa eſt, vt Deus audito diſcordiæ nomine, non modo offendatur & indignetur, verumetiam ſeditionis auctores execretur. Sex ſunt quæ odit Deus, ait ſapiens, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguam mẽdacem, Manus effundentes innoxium ſanguinem, Cor machinans cogitationes peſsimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia teſtem

Prou. 5.

fal-

fallacem: Et eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Inter cætera quæ procul ab omni humanitate remota ſunt, vltimò quidem loco recenſet ſcelus eorum, qui Reipub. quietem ſeminata inter homines diſcordia oppugnant. Nam quorum conſilia pernicioſa ſunt humano generi, hos maximè aſpernatur Deus, ita totus eſt in cõciliandis atque ſanandis hominum animis. Quæ cum cogito, tum Chriſti orationem audire videor. Redite, Chriſtiani, Redite cum Chriſtianis in gratiam, & ego vobiſcum ſum in gratiam rediturus: Nulla mihi cum ijs pax erit, qui inter ſe bellum gerunt. Tollantur igitur rerum controuerſiæ: de quibus inter vos certamẽ eſt, & vobis æternæ mecũ amicitiæ fœdus eſto. Hac oratione ſatiſne amanter ad pacis ſtudia nos inuitat? à bello auocat? Quid eſt quod inter pacis conditiones requiras amplius? Nulla igitur pœna tam atrox, aut tam horrenda, quam eorum ſcelera non ſuperent atque excellant, qui nec pœna coerceri ab ingratitudine, nec præmijs accendi ad gratitudinem potuerunt, quique cupiditatibus animi hoc tribuerunt, quod Chriſto pro concordia, at-

que tranquillitate hominum roganti denegarunt. Quis quæſo non ſtatim poſſet calculos, delato eius nomine, qui acceptis talentorum decem millibus, ea lege, vt familiari C. denarios remittat, non remiſerit tamen: ſed in ius vocauerit? Aut quis non in ſuffragia cat. laturus in eum ſententiã, qui ingenti liberalitate laceſſitus, ne minimo quidem munere DEVM Opt. Max. remunerandum putet? Et erit poſthac quiſpiam, qui in caſtigandis huiuſmodi reis mirentur, aut legum acerbitatem, aut æquitatem iudicis? Non opinor, tenemus igitur ingratos legum vinculis conſtrictos, & à iudice mortis condemnatos. At quis eo ingratior, qui rogatus ne leues quidem Deo aduerſarij condonarit iniurias, cui & vitam, & fortunas referre deberet acceptas? Verè enim D. Hieron. in epiſt. ad Celant. Quid tam ſuperbum, quid tam ingratum videri poteſt, quam aduerſus eius viuere volũtatem, qui ideo aliquid imperat, vt occaſionem habeat remunerandi? Neque enim obſequij noſtri Deus indiget, ſed nos illius indigemus imperio. Omnia igitur, quæ nobis præcipit Deus, nõ tam ſua, quàm noſtra cauſa præcipit.

cipit. Vides enim vt ſæuis aduerſarij iniurijs., anteactæ vitæ omnia crimina liberaliter permutet. Et nos quæ votis omnibus appetenda eſſent, ea ſponte oblata aſpernamur? Miſeros nos, qui nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus? Miſeros, & amentes, qui Chriſti munificentia non vtimur: quo enim alio nomine ſummam Dei liberalitatem appellem, neſcio. Si conſtaret illis, qui cæca libidine in vindictam ruunt, quid ſubductis calculis Deo debeant, quam ſoluendo non ſint: næ ipſi ſupplices aduerſarij amplexum expeterent, vt diremptis inimicitijs, cum Deo in gratiam redirent. Sed his corruptis moribus nullus D E I *metus, amiſſo pudore ſumma peccandi licentia. Nec cogitant mortales, quod eo grauior ira Dei, quò tardior: Sed vt quibus orta, ijſdē finibus circumſcribatur oratio, nō patriæ tantùm aut Dei oſor, ſed & ſui ipſe capitalis hoſtis cenſeri debet, qui re nihili, id eſt maleficiorum obliuione, rem maximi pretij, putà peccatorum veniam redimi negat oportere. At ne quis æquiorem arbitretur eius conditionem, qui fecit, quàm cui illata eſt iniuria, Deus imprimis iu-*

bet, vt errati veniã petat ab eo, cui fecit in iuriã, nec imperata detractet: deindeſi res mutuò cõſenſu tranſigi nequit, Magiſtratus cõſtituit, & Regios & Põtificios, quib. puniendi nocentes, defendẽdi innocẽtes poteſtas eſt: Regijs gladiũ dedit, quo vitã adimãt ei, qui publicã tranquillitatem ſollicitat. Pontificijs, quo à piorum congreſſu eum ſeparent, atq; reſcindant, tanquam à reliquo corpore membrum malè affectum, qui ſpreto iudicis edicto, in ſentententia perſeuerat, atque huius conſuetudine nobis Chriſtus ipſe, non ſecus ac Ethnicorum ac infidelium interdixit. Quibus inſtitutis, cum ſatis ſuperque proſpectum hominum concordiæ animaduerteret, gladium nobis & arma omnifariam ademit,
Matt. 27.c. *qui enim gladio ferit, gladio, vt ait, peribit. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, non quod nemini per Deum gladio ferire liceat, ſed quia gladio niſi magiſtratibus, aut eorum iuſſu ferire, nemini ſit permiſſum. Christus igitur cũ nefariò proditus hoſtibus in poteſtatẽ traderetur, Petrum ſeuera oratione caſtigauit quod in eos gladium ſtringeret, quorum effrenata audacia Magiſtratuum*

iuſſu defenderetur. Sed cur tandem Petrum ab armis tam piè ſumptis reuocauit? Vt ne mortales, quæ in patriam, & Magiſtratus conuertunt arma, ſpetioſo Petri exemplo tegerent: qui enim hominē ſine legitimi magiſtratus authoritate, & mandato necat, homicidij reus eſt. Abſq; poteſtatum enim ſublimiorum mandato qualeſcunque tandem ij fuerint, gladio vti, niſi aduerſus inuaſorem, non licet, & qui aliter faceret, iuxta Chriſti ſententiam gladio mori debet, & morte violenta. Nam ſibi Deus vindictam noſtrorum reſeruauit inimicorum, quam facere ad cũ ſolum, vel deſignatos ab eo magiſtratus, & iudices pertinet, & ſpectat. Hæc igitur ad ſocietatem humani generis defendendam ſtatuit Deus, quæ fuſius à me declarata, ad hæc capita reduci poſſunt.

Vt mutuus ſit inter omnes amor, mutua beneuolentia.

Vt ne quis alterius patientiam dicto aut facto laceſſat.

Vt qui alterum offendit, errati veniam ſupplex petat, imperata faciat.

Vt cui illata eſt iniuria, eam CHRiſto condonet.

Vt ne vindictæ cupidus ſit, pacis conditiões admittat, arma aut vim ne ſpectet.

Vt magiſtratuum interuentu, ſi mutuo conſenſu nequeunt, rerum controuerſiæ componantur.

Conſtituendi ſunt hi Chriſto authore in amicitia fines, & quaſi termini deligendi, quos qui tranſiliet, iram Dei, *& pœnam mortis in curret ſempiternæ. Nã qui reſiſtit poteſtati,* Dei *ordinationi re-*
Rom. 13. a *ſiſtit: qui aũt reſiſtunt, Apoſt. teſte, ipſi ſibi damnationẽ acquirunt. Expoſitũ eſt à nobis hactenus, vt à Chriſto conſtituta Reſp. humana eſt, legibus aut nouis latis, aut priſtinis reſtitutis. Venit enim in mundũ è cœlo, domum hanc luculentam, cui Eccleſia nomen eſt, ædificaturus. Eius fundamentum ſpes, tectum fides, ambitus charitas, lapides homines, calx, concordia. At neſcio an poſt redemptionem humani generis, quæ cauſa aduentus propria. aliud quidquam Chriſto ita curæ fuerit, atque hominum perpetua, atque eadem de fide ſub eodem paſtore conſentiens voluntas: Ex quorum conſuetudine incredibilem, vt Salamon teſtatur, voluptatem capit. Et delitiæ meæ inquit, eſſe cum filijs homi-*

hominum. Quæ ſuauiſſima Dei *cum ho-* Pro. 8.
minibus coniunctio, ne vllo tempore inter-pellaretur, has leges ſanxit, Deum *vt diligamus ex totò corde noſtro; proximum autem ſicut nos ipſi, vt mutua ſit inter homines concordia, alter alteri ſuccurrat, nè noceat. Quod ſi his ſacroſanctis legibus regeretur vita noſtra, quam tranquillus ac florens eſſet orbis terrarum ſtatus. Quid tum homo ab homine metueret, imo quid non ſperaret? Peragrare, quam longiſſime patet, terræ ambitum, maxima cum voluptate, ſine periculo poſſet. Nec enim itinera furtis, latrocinijs, ſeditionibus, ſacrilegijs, homicidijs infeſtarentur, ſed poſitis armis: lætis & amoribus omnia perſonarent, quæ optare quiſque ante obitum, aut ſperare nemo poteſt.*

CAP. TERTIVM.

Teterrimus ille ac crudeliſſ. Inferorum tyrannus, qui à primis orbis conditi primordijs, cum hominibus continenter bellum gerit, vt nobis viam ad ſalutem intercluderet, quam æquiſſimis, ac ſanctiſſimis legibus latis, Chriſtus mortalibus reſerarat, quàm maximum potuit, conſcripſit exercitum, eumque rerum omniũ

copia inſtruxit, Chriſti leges oppugaturus. At primum in partes traduxit Imperatores, Reges, Tetrarchas, Dynaſtas, Milites, Philoſophos, Poetas, Oratores, nihilq́ prætermiſit, quod ad tollendum è memoria hominum Chriſti nomen, mite ac ſalutare pertineret. Quorum copijs, atq; opibus adiutus, Chriſtianæ pietatis defenſores grauiter afflixit. Eaq́; victoria fortiter vſus, Chriſtianos in tantum odium omnium rapuit, vt audito Chriſti nomine, orbis terrarum ad arma conclamaret, Chriſtianos, ſi poſſet, internecione deleturus. Hinc eſt, quod trecentis amplius annis à partu virgineo, nemo ſine ſummo vitæ diſcrimine, Chriſti præcepta amplexus ſit, quaſq́; multi probarent leges, non admodum ſequerentur. Nec contentus eo bello, quod vbique gentium, ac nationum aduerſus Chriſtianos concitarat, dolo Euangelium adortus eſt, qui quo tectior, eò periculoſior: nam illos ipſos, qui iter ad ſalutem ingreſſi erant, abs recta ſemita incautos, in obliquos tramites abduxit, abrumpere ſæpè eam, quæ inter homines eſt, neceſſitudinem conatus. Primum Chriſtianos paulatim in amorem

Tertull. in Apologet.

rerum

rerum mundanarum pellexit, à quibus Chriſtus mortales abſterruerat, ut ne, quod legis naturæ temporibus factum meminiſſet, has dum ſectarentur, ea præterirent, quæ ad ſalutem ducunt ſempiternã. Contra fore videbat Cacodæmon, ſi Chriſtiani earum rerum amore caperentur, non minore odio bella iam geſturos, quàm ante Christi aduentum priſci illi geſſerant mortales. Secundò, Chriſtianos à ſe mutuò opinionum varietate ſeparauit, in conſutilem Chriſti veſtem, quod fieri non poteſt, lacerare conatus, iactataq́ eſt in gentibus ſeditionum, ac ſectarum procellis Petri nauicula, quæ necdum planè conquieuit, nec videtur conquietura. Cogitat enim, labefactata Chriſtianorum ſocietate, in ipſam illam luculentam, & ſplendidam Chriſti domum impetum facere, vt Petri nauicula, vbi curſum ſiſtat, locũ non reperiat. Quò audaciæ nunquam progreſſus foret, ſi nos eorum memores, quæ Chriſtus, dum ex hoc mundo ad cœlum remigraret, nobis præcepit idem de pietate ac religione ſentiremus. At proh dolor, inter ipſos Chriſti diſcipulos ipſis adhuc Apoſtolorum temporibus iacta diſcordia-

 rum

rum ſemina, quæ eradicare longè difficilius fuit, quàm effugere imminentes ceruicibus hoſtium gladios. Poſtea verò, quoties pſeudoChriſtianorum inſidijs tentata Eccleſiæ cōcordia eſt, donec ad ea tempora peruentum, in quæ nos incidimus, eò corruptiora, quò pluribus hæreticorum tormentis Chriſti ouile verberatur, inſtructis magno telorum apparatu aduerſarijs, quæ vel ipſi noua inuenerunt, vel ab his acceperunt vetuſta, qui mille abhinc, & quingentis annis Eccleſiæ concordiam diuerſis temporibus oppugnarunt.

Quibus artibus factum eſt, vt Chriſtiani priſtinam illam, qua vtebantur, fruebanturque ſocietatem, & amicitiam planè amiſerint, & Chriſti oues in diuerſas partes deductæ, ſub diuerſis Paſtoribus habeantur, & ex vno Chriſti ouili, tot greges prodierint, nec idem inter ſe, nec cum Opilione conſentientes, vt verè Fredericus Staphylus eſſe ſex & triginta ſectarum genera, hac tempeſtate tractat. Nec deſunt, qui opiniones tam varias, tam alienas à pietate Chriſtiana acriter defendant, hi non ſententijs tantum,

tum, ſed caſtris etiam diſiuncti rem gerunt, & ipſi à ſe longè magis diſsident, quàm nos à Turcis & Iudæis diſſentimus, hoc vnum coniunctis armis, atque viribus, nec quicquam hactenus meditati, vt abolita pietate, maiorum fidem atque religionem è mundo tollant. Nam à Cacodæmone ſeducti, & odio piorum hominum inflammati, inter ſe ipſi & nobiſcum ſimul bellum gerunt, eò impietatis redacti, vt nullum in ijs Chriſti ſymbolum agnoſcas. Qui enim in Chriſti ſchola inſtituuntur, integri ſunt, non ſubdoli, at, vt Chriſti diſcipulos decet, benigni, humani, humiles, modeſti, amabiles, moderati, faciles: at qui ab horum ſpatijs digrediuntur ſub Diabolo habiti, crudeles, inhumani, iracundi, cupidi vindictæ, cupidi fortunarum, & vitæ eorum, quibuſcum fraterni amoris vinculo à CHRiſto colligati fuerant. At tot tantaq́; ſcelera, miti Apoſtolorum & Euangeliſtarum nomine inuoluunt, impiè hoc, quod ſequitur etiam impudenter Euangeliophoros ipſi ſe, & Apoſtolos, cùm illoto ore pronuntient, tamen non animaduertant CHRISTI diſcipulos & Apoſtolos

nihil

nihil tam probare, quàm pacem, nihil tã execrari, quàm bellum. Horum ope atque opera diabolus quid non tentauit? quid non fecit? Chriſtianiſmi vultum & mores ita deturpauit, vt à fœditate vultus, & ſpurcitie morum, oculos omnes auertant, quæ cauſa eſt, vt pauci hoc tempore, repudiata Iudæorum pertinacia, aut Turcarum ſuperſtitione, Chriſti pietatem amplectantur. Iam nihil ſanctum, nihil ſyncerum, nihil vetuſtum inter Chriſtianos eſt. Ea inſtituta, ea tempora, ea opinionum varietas, vt quàm ſequerentur, difficulter aliquam multi diiudicauerint, Hæreticorum enim quiſq; pro virili ſuam quam ipſe inuenit, vel ab alijs accepit, ſententiam defendit, quàm prudenter ex eo facilè colligi poteſt, quod ante quinquaginta annos, nulla eſſent noua & peſtiferæ doctrinæ rudimenta, omnes enim ſub eodem paſtore ijſdem ſacris initiati, eodem ritu inſtituti, piè & tranquillè ſub Chriſti viuebant ſucceſſoribus & vicarijs, donec Neoprophetæ iſti religionis noſtræ, arcana in dubium reuocare auderent, legeſq; ferrent, vetuſtis nulla authoritate Magiſtratuum, nullo populi, aut Principis

iuſſu

iuſſu abrogatis. Quorum exemplo leges ſuo quiſque arbitrio figit, ac refigit, pernicioſo iuxtà Eccleſiæ atque Reipublicæ exemplo. Hinc enim capitalis vox eorum: Viuat quiſque vt lubet, hoc eſt, vt ego interpretor, viuant latrones, viuant ſacrilegi, viuant Deûm atque hominum contemptores, vt velint, nec pœnis coerceantur. Sed quorum hæc vox eſt, hominúmne an dæmonum? Quid autem lege tam peſtifera atque exitioſa volunt? quid quærunt? vt homines priſtini decoris obliti, iure humano, atque diuino deleto, rapiantur non ſecus ac pecudes, quò non ratio ducit, ſed voluptas & effrenis libido trahũt. Nec homines dæmonum inſidias deuitãt, & partium ſtudio, iuxta ac aduerſariorum odio, ita efferuntur, vt quæ ante pedes ſunt non cernant. At dæmones tot malorum auctores & ſuaſores ſunt, vt hominum opera, hominum ſtirpem è mundo euellãt: mihiq́; ea de re ſæpè cogitãti videtur Inferorũ rex hoc præſtitiſſe, quo inuictos belli duces vinci poſſe Vegetius ſcripſit in libro, qui eſt de arte militari: Occultas, inquit, diſcordiarum cauſas ſerere inter eos eſt neceſſe, quorum virtus, cum

externa

externa vi frangi nequeat, inteſtina minuatur. Hoc, inquam, Cacodæmon præſtitit, florebat enim Eccleſia fide, ſpe, charitate, charitatem ſubſtulit fundamentum fidei, ſuſcitatis inter Chriſtianos bellis atque ſeditionibus, qui de vita malunt, quam de ſententia diſcedere. Horum impijs armis, atq; ſcelerata diſſenſione Eccleſiæ vires, quas nulla externa vis labefactare poterat, vehementer conquaſſauit, Dum enim Chriſtianorum plurimi, ad diaboli ſigna confluunt, horum ille armis vtitur, in ſalute aliorum opprimenda. Vincit Chriſtianis Chriſtianos, vincetque niſi ſapuerimus. Nam alias ſemper hominibus peſtem, atque perniciem intulit, cum aut bonorum ſpecie captos ad ſe trahit, aut imbutos opinionum varietate, à ſe mutuò ſeparat, ac disiungit: nunc verò (vt omnes intelligant, nihil nobis eſſe reliqui, præter ſpem, quam in Ieſu Chriſto collocamus) & cupiditate rerum terreſtrium, & ſimul varietate ſententiarum, in Eccleſiam graſſatur. At primum videamus, vt Chriſtianorum mores atque inſtituta deprauarit. Miſeros nos, quibus voluptate, auaritia, ambitione

bitione

bitione perditis, nihil præter nomen Chri- ſti ſupereſt Chriſtianis. Hinc videlicet tot peſtes, tot calamitates, tot rixæ, tot bella inter Chriſtianos nota, quæ multò maiori feritate, atque animorum pertinacia iam geruntur, quàm ante Chriſtum in lucem æditum geſta commemorantur. Hæc publicè in Chriſtianos dicta ſint, at priuatim nihil in ijs, nihil, nihil moris priſci, aut Chriſtiani agnoſces, ſed mores & inſtituta Epicuræorum facilè deprehendes. Quare aut mores, aut nomen mutent, eſt neceſſe. Quis enim inter Chriſtianos referat eos, qui Chriſtianam Rempublicam peſſundant? quis multos Principes & Reges ex alto Chriſtianorum tollere dubitabit, qui non dubitant in congerendis opibus, aut ſumma honoris vindicanda abuti Chriſtianorum ſanguine? Hei ipſi ſua parum intereſſe arbitrantur, quid Chriſtus iuſſerit, quid prohibuerit. Qui enim fratrem, non dico, oppreſſerit, ſed fratri egeſtate oppreſſo opem non attulerit, à Chriſto ſeuerè caſtigatur. Amē dico Matt. 25 *vobis, inquit, quandiu nō feciſtis vni de minoribus iſtis, nec mihi feciſtis, et ibūt hi in*

ſup-

ſupplicium æternum. Quid multos Eccleſiæ gubernatores de religione Chriſtiana ſentire arbitraris, qui immenſis opibus, quas à Chriſto acceperunt, non in grege alendo, quod boni Paſtoris erat, ſed vita per luxum perdenda, quod hominis perditi eſt, abutuntur. Quod ſi illis in mentem veniret diuinæ iuſtitiæ, onus profectò, cui ferendo non ſunt, humeris excuterent Repetet enim ab his Ieſus Chriſtus rationē eorum, quos ſuæ curæ creditos per ſocordiam amiſerunt. Sed quid? varijs illecebris delibuti, nihil iſta ad ſe pertinere putant: nec aliter in ſumma peccandi licentia ſe gerunt, quam ſi machina hæc vniuerſa, & vita noſtra fortuitu, non diuino nutu regeretur, quid deceat, non vident, vt diteſcant, vident. Non quod auaritiæ omnes accuſem, ſunt enim inter eos viri boni, & pietatis ſtudioſi, ſed quod Eccleſiæ calamitates deplorem. Quanquam enim auaritiam omnium malorū, quæ vidimus, & fecimus, ſentinā nemo dubitet, quis tamen horū eſt, qui vitæ ſuæ curſum, ad iuſti normam reuocet? Hos ego officij ſui admoneo, cæteros non reprehendo: nam niſi ſacroſancti Concilij Tridentini decreta, non

tam

tam nutu, quam integritate, & ſanctimo nia vitæ comprobarint, vix ac ne vix qui dem Eccleſiæ concordia poterit reſarciri, qui vtinam quæ Chriſti ſunt, ſaperēt; abijcerent profectò ſua potius, quam appeterent aliena. Idem de cæteris Chriſtianorum ordinibus iudicium eſto, in quorum vita profligata, nihil pietatis Chriſtianæ reperies: nam cum ijs tantum inhiāt, quæ ſunt mundi, nihil ijs impertiūt, quæ Chriſti ſunt. Deum nec reuerentur, nec amant proximum. Proximo nocent, non proſunt, ius locant in armis, & lacertis, non in legibus, aut ratione. Quare deſine Antropophagos crudelitatis inſimulare, quos Chriſtiani immanitate longè ſuperant atque excedunt. His igitur conſilijs Sathanas rerum potitus eſt. Chriſtiani enim ſublato Dei metu, neglecta pietate, & mutuis vulneribus confecti, in Sathanæ poteſtatem veniunt; Nec alia inteſtini, domeſticiq́; belli cauſa eſt, quàm diuinæ bonitatis obliuio, & flagrantes voluptatum, opum, honorum, cupiditates, nam his dum inſeruiunt, cætera paruiducunt. Et quanquam rerum harum poſſeſſionem, mors ipſis inuitis, & nihil minus cogitantibus è mani-

bus extorqueat, priſtinum tamē vitæ curriculum non prius omittunt, quàm vitam amittant. Deus bone, quam procul abſunt Chriſtiani ab illa virtutis ſemita, quam Chriſtus nobis complanarat, per quam maiores noſtri ad vitam contenderunt æternam, quorum ſanguine Chriſti præcepta conſignata ſunt, quam procul ab eorū inſtitutis, quibus idem de Deo & bono publico ſentientibus, nihil proprium, ſed omnia erant communia? Multitudinis credentium erat cor vnum, inquit Euangeliſta, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat ſed erant illis omnia communia. Horum enim qui nūc ſunt, & fœdis moribus cognomen à Chriſto acceptum polluunt, quot capita, tot ſententiæ. Eæ verò ſordes, vt viris bonis illuuiæ ſqualidis nihil de ſuo largiantur, ſed adimant potius, ſi quid miſeris fortuna reliquerit. Extincta eſt mutui amoris flamma, nec eſt qui publica curet commoda, ſed rerum ſolùm ſuarum ſatagunt ferè omnes. Eorum etiam, quos eiuſdem ſodalitatis nomine fratres aut ſorores appellamus, pauci aut ferè nulli in fraterna coniunctione perſeuerant, cum

Actor. 4.

nihil

nihil minus re ipſa quàm fratres ſint, aut ſorores, cum verba in quæ iurarunt, violent, et ad honores atq; diuitias feſtinent. Hinc illi malorum deducti riui, qui mundum hunc ſanguine inundarunt. Et Dei opem imploramus? Deus, mihi credite afflictis & perditis penè rebus, opem allaturus non eſt, niſi nos ad priſtinum rectè viuendi inſtitutum redeamus. Hac via Pluto exercitum primum in Chriſtianos duxit. Supereſt altera, qua dum pergeret, Chriſtianorum copias profligauit. Excitauit enim hæreticorum omnium dogmata, quæ cum ipſis auctoribus apud inferos ſepulta longo tẽpore iacuerant, iacerentq́; ſi contenti homines ſanctiſſimis Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis mores emendaſſent, leges non attrectaſſent. Sed à diabolo decepti, hæc tanquam arma, & cupiditatum munimenta arripuerunt, pernicioſa illa quidem hominũ generi, vt quæ maximã breui ſtragem ediderunt, eorum auſpicijs, qui ſe falso Apoſtolos nuncupant. Horum res præclaræ poſteritati traditæ, an fidem habituræ ſint, dubito. Quis enim credet, eos, qui Apoſtolorum nomen affectant, tam eſſe Apoſtolorum immemores,

vt hominibus Chriſtianis, ciuibus, fratribus, ac demum quibus vitam debent, perniciem ſtruant. Vt oppida, vrbes, regna, auarè diripiant? Vt denique Rempublicam Chriſtianam populationibus fœdent & incendijs? Quæ dum cogito, videtur mihi Deus, haud ſecus in nos, atque ludimagiſtri in diſcipulos animaduertere, qui ſi quādo nacti duos ſint inſigni petulantia, vtrique detractis veſtibus, & nudato tergo, faſciculos virgarum in manus ingerunt, armantq́; in mutuam lanienam: Ita cùm Deus ludi Chriſtiani diſciplinam cerneret deprauatam, non modo eorum culpa, qui ab Eccleſia defecerunt: verum etiam eorum corruptis moribus, qui in ea perſiſtunt, vtriſq; permiſit flagella, quibus alter alterius tergum cæderet, ac cruentaret. Sed puerorum certamen laſſitudo dirimit, hi tot laboribus & malis feſſi, magis ſæuiunt. Pueri verberibus caſtigati, animum ad virtutem appellunt, hi de priſtino luxu & ſocordia, nihil poſt ſtratas acies, aut fuſas ab hoſte legiones intermittunt. At cum nihil pernicioſius ſit hominum ſaluti diſcordia, nihil ſalutarius hominum quieti concordia, illa religionis varietate

rietate, atque ſententiarum diſcrepantia alitur, hæc opprimitur.

Ergo hæreſis hominum concordiam euertit, nefandum hoc, quod ſequitur, deteſtandum magis, Dei iram irritat. Ergo non facilè ijs ignoſcit Deus, ſemper alias facilis, ſemper mitis, qui tetra hac lue puritatem religionis polluunt, atque inficiunt? Et poſt hac erunt, qui in aduerſariorum caſtra transfugient? Non ſi hæc, quæ luce meridiana clariora ſunt, intueantur. Sed coloribus ſuis aduerſarios iam depingamus: Impij ſunt in Dei matrem Virginem, impij in Diuos, ſcelerati in patriam, ſcelerati in Eccleſiam, atque vt ex infinitis attingam pauca: extinctum mille annorum ſpacijs Euangelium fuiſſe clamant & Christi regnum; at æternum fore Euãlium, & Chriſti regnum, Prophetæ tradunt, Angelus Gabriel teſtatur. Quare non poteſt hæreticis iſtis credi, niſi prius aſſeratur, Chriſtum, Euangelium, atque Prophetas mendaces, impoſtoreſq́ fuiſſe: Aiunt idololatriam eſſe, Chriſtum in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento adorare, nihilominus uniuerſalis Eccleſia, omneſq́ ſancti id tùm fecerunt, tùm facien-

Dan. 7.
Micheæ 3.
Luc. 1.

dum eſſe docuerunt, in quos illorum quibus nos ob hoc, quod idem eorum exemplo faciamus aſſerunt, redundant blaſphemiæ.

Diuus certè Auguſtinus expreſſe docet, neminem Chriſtianum ſuo tempore ſacramentum hoc ſumere præſumpſiſſe, quin prius Chriſti corpus illud idem quod ſumpſit ex virgine, humiliter adoraret: & tantum abeſt, inquit, quod peccarent adorando, quod etiam peccaſſent non adorando: legatur Auguſtinus in expoſitione verſus Pſalm 98. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Omnes ergo hæretici blaſphemi ſunt in ſanctos, dum corporis Chriſti adoratores idololatras eſſe docēt. Quaſi verò Chriſtus idolū ſit, & non verus Dei filius. Nihil autem Dei iram aduerſus mundum acerbius irritat, quàm blaſphemia, qua vel ipſe, vel ipſius ſancti afficiuntur, dico ipſius ſancti, quandoquidem Chriſtus in Euangelio, quod vni ex minimis ſuis ſeruis fit, ſiue bonum ſit, ſiue malum, ita accipit, ac ſi ſibi ipſi in propria perſona factum eſſet; & ideò Deus hominibus non alias magis

ſuccenſet, quàm orbe terrarum hæreticorum facibus inflammato. Nam dæmoni ſemper nobis infeſto, tunc poteſtatem tradit ſuſcitandi inter homines diſcordias, ſeditiones, ſectas, rixas, odia, ſacrilegia, latrocinia, bella inteſtina, vt quorum machinis cõuulſa Eccleſiæ fundamenta ſunt, pœnas luant, nec impunè ferant, quorum ſocordia altum incendium, nec hoſtium conatibus obuiam itum eſt.

Sed vt eò redeam, vnde ſum digreſſus, aſſerere volo, omnia mala, quæ hactenus pertulimus, à Diabolo orta in caput noſtrum redundaſſe: hic ille eſt, qui pietatem ſuſtulit, qui ſoluit concordiam, qui religionem Chriſtianam firmam & ſtabilem concuſſit, ante quinquaginta annos, nullo violatam dedecore. His diaboli cuniculis ſerius detectis, victi prius ſumus, quàm vinci nos ſentiremus. Odium enim, cuius quaſdam inter homines ſcintillas excitarat, tantam flammam concepit, vt reſtingui vix poſſe videatur.

Credebatur verò vna, eademq́ domo oẽs

excepturus, qui ab Eccleſia Dei deficerēt, in dies magis ac magis, hominum multitudine, & animarum pertinacia, ſex & triginta conſtruxit amplas domos. Nulla enim eſt fides, aut concordia inter eos, qui limites à Chriſto legibus præfixos tranſilierunt. Quamobrem ſi in damnatis hære ticorum erroribus verſarentur tantùm, hominum inſignem amentiam deplorarem, nunc rideo audaciam, quod ipſi nouos etiam excogitant: nec fero ſtuporem, quod propoſita quæſtione toties labuntur, quoties ad interrogata reſpondent, & tamen neminem eorum inuenies, qui de re quauis diſſerere non audeat, paucos, qui veritatem aut agnoſcant, aut inueſtigent: opprimitur. n. in nimiū diſputando veritas, & diſputantium clamoribus potius offuſ catur, quàm diſputando eruatur, fit q́; ſæpius, vt cum è labyrintho quæſtionis propo ſitæ, explicare ſe nequeant, Epicuro ſe in diſciplinam, quæ pecudum eſt, non hominum quamplurimi tradant. Sic perturba ta eſt à Diabolo Reſpub. Chriſtiana, ſic ar mati, in mutuam cædem Chriſtiani currunt, nec curſum Chriſtus retardabit, niſi nos mentem & orationem ad Deum,

quem

quem toties offendimus, maturè conuertamus. Donec enim alter odio alterius æſtuans, belli & malorum cauſas in aduerſarium reijcit, nunquam reſtituetur hominum concordia: ſed à nobis longè digreſſa reuocari, cum maximè velimus, non poterit, concordiæq́; ſedem vacuam inuadent bella ac ſeditiones, à quibus maximam partem domus DEI videmus occupatam. Oremus igitur Deum Opt. Max. vt nos non noſtro merito; ſed ſuo beneficio, à tot bellorum calamitatibus, in priſtinum concordiæ ſtatum reſtituat incolumes? Si enim alio vnquam tempore, hoc certè, diuino numine propitio indigemus. Præuideo iam iam diluuium, quo perimus, niſi Noe quiſpiam ſuccurrat naufragio pereuntibus. Præuideo geminas diluuij tempeſtates, quæ Chriſtianam Rempublicam peſſundabunt: Prior eſt peccatorum, quæ tot, & tam impunè ab hominibus committuntur, vt quod ante diluuium Noe, dictum in homines eſt, in nos verè dici poſſit: Re- Gen. 6.
pleta eſt terra iniquitate à facie eorum.
Pſalm. 14
Omnis caro corruperat viam ſuam, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſ-

que ad vnum. Altera eſt ſectarum, quæ tam graues in Petri nauiculam incumbunt, vt verendum ſit, ne opprimant. Omnia enim omnium hæreticorum, qui ſunt, qui fuerunt dogmata his corruptis moribus, eodem tempore ab hominibus comprobata ſunt. Et diabolus fontem illum effudit errorum omnium, qui locis omnibus breui ſuperfundetur, niſi quiſque torrentis vim atque impetum pro viribus arceat, atque cohibeat. Nemo autem ſolus voragine abſorbetur, ſed ſecum cum omnes, ſi fieri poſſet, tum parentes & amicos præcipuè, in gurgitem illum trahit. Hactenus de bello, quod Cacodæmon cum hominibus gerit, geſſitq́. Mihi verò, qui nec poſſum ſingulos hoſtis inſultus propulſare, nec ſi poſſem, vellem. Sunt enim hoc tempore multi, iiq́; maximis ingenij dotibus præditi, qui quæ à me prætermittuntur, rectius pertractabunt, id impugnare aggrediar, quod ab exteris, vt opinor, Gallis traditum, Galliæ regnum quondam florentiſſimum, varijs calamitatibus inuoluit: Quod ſi mihi res ex animi ſententia ſucceſſerit, plura fortaſſis, & difficilliora attingam: ſin aliter res ceſſerit, haud iniquè

que feram, nam ſi nihil aliud, hoc conſequar, vt meo maximè exēplo viri docti, et Reip. amãtes, accingãtur ad tollendum ex animis hominũ grauiſſimũ errorẽ, remq́; à me leuiter tentatam planè ſubuertant.

Applicatio præcedentium ad puncti honoris confutationem.

Contra eam, quæ eſt Principum, & nobilium virorum, de ſumma honoris (quem punctum honoris communiter vocant) opinio, Chriſti & naturæ legibus, ex diametro repugnans, hoc tempore ſum dicturus, ſed iacta ſunt diſputationis noſtræ fundamenta, ea enim hactenus dicta, & probata ſunt argumentis ad fidem faciendã neceſſarijs, vt ſpes ſit euulſa ex animis hominũ opinione tã falſa atq; inueterata, Chriſtianos ad ſolidas opes, & verũ decus, curſum reflexuros. Atq; vt ab ipſo auctore peſſimi inſtituti ordiar, inuenta eſt inſculpta animus hominũ à cacodæmone, vt eius maximè adminiculo, in lõge amœniſſimo Chriſti paradiſo, qui Chriſtianorum conuentus eſt, ſathan regni Inferorum ſpeciem repræſentaret, impietate, homicidijs, ſeditionibus, bellis, & id genus alijs, abundè perpolitam, quæ in eorum capita

reciderunt, quorum conſenſu leges de ſumma Honoris, planè barbaræ, & ab omni æquitate alienæ receptæ, comprobatæq; ſunt. Quæ à noſtratibus ita retinentur tamen, vt nemo ſit paulo honeſtiore loco natus, qui memoriæ eas non mandarit, non reddere, non vt digitos poſſit diſtinguere. Prima autē & præcipua hæc eſt: Cui probrum ingeſtum, aut vis illata, ad ſingulare certamen aduerſarium prouocato, ſtricto gladio iniuriā auerruncato, qui ſecus faxit infamis eſto. Deo proximi in te offenſas non condonato, aut ignominiæ nomen ſubito. Par pari non tantum reddito, ſed quo magis dignitati conſultum cupis, eò atrocius inimicitias exerceto. Cui mendacij labecula aſperſa erit, eam inimici ſanguine eluito, dignitatemq; parricidio recuperato. Cum eo, quem offenderis, in gratiam ne redito, qui ſecus faxit, ignobilis eſto. Hæc illa de ſumma Honoris lex eſt, quæ læto applauſu ſemel ab hominibus excepta, ita mordicus retinetur, vt malint irritatis ſuperis, maximo amicorum & gentilium diſcrimine, ipſi de vita & hac, & æterna ſimul periclitari, quàm leues non rarò offenſas diuinæ pietati remittere,

aut amicorum iudicio, magiſtratusve arbitrio rei cõtrouerſiam permittere. Quod ſi nec Deo remittere, nec amicorum permittere iudicio vellent, eorum profectò ſententiæ qui ius dicunt, & exercent, cedere deberent. Sed quid? Per legem quæ de summa Honoris eſt, nòn licet, cuius præcepta nobilibus viris ſanctiora ſunt, quàm quæ Chriſtus mãdat, ratio ſuadet, dictat æquitas. Hinc eſt quod duos colles locorum interuallo diſiunctos, faciliùs coniunxeris, quàm concordiam Principum virorũ, ſemel diſſutam, poſtea reſarcieris, ſi modo de concordia agas, rebus nondum profligatis, fortunis nondum adeſis. Hanc legem hominum generi pernicioſam, eorum teſtimonio oſtendam, quorum familiæ ac gentes nobiliſſimæ quidem illæ, ſed legis obſeruatiores, quàm naturæ aut diuinæ voluntatis, priſtinum virtutis à maioribus acceptæ, decus amiſerunt. Eorum nomina inuolui patiar tenebris, ne quæ publica eſt ignominia, paucorum dedecore circunſcribatur. Naturam verò rei dubiæ, ſi fieri poteſt, oculis hominum proponam dijudicandam, vt omnes intelligant, quid illud ſit, in quo ſumma honoris collocanda eſt:

eſt: hoc enim hominum originem, ex obſcura claram facit, ex illuſtri nobiliorem reddit, ſic ij qui Honoris cupiditate flagrant, id quod honeſtum eſt, ab eo, quod honeſti ſpeciem præſefert, facilè diſcernent: nec aliud nos agimus, aut conamur, quam vt Principes viros recti ſpecie deceptos, & à veritate declinantes, in viam reuocemus. Et quanquam optimatum in defendenda Honoris ſumma conſenſus vulgò rideri, atque explodi ſoleat, non deerunt tamen, qui me arrogantiæ inſimulent, quod de lege antiquanda agam, quæ pertinacia magis, quàm coniunctione animorum, à Patricijs defenditur, atq; ſuſtinetur. Quorũ ego reprehenſionem nõ reprehendam, non metuam, quippè qui pro veritate dicturus, hominum iudicia nihili extimeſco: ſed ijs hæc examinanda permittam, quibus tantum erit otij, vt noſtra intelligant, non ſermonis puritate, ſed veritatis defenſione ſubnixus. Nec modo his me purgatum, verumetiam probatum iri, operam puto (ea cauſa æquitas eſt atq; robur) ſi quæ tenebris inuoluta ſunt, in lucem, vt ſpes eſt, eruam. Qui veritatem oculis non

feret,

feret, nec virtutũ reginam feret, qui virtutem aſpernabitur, is honorem, de quo quæſtio eſt, maximum virtutis præmium aſpernabitur. Mihi ſi operam meam omnibus probare non potero, ſatis eſt ſi bonis probauero. Nihil enim aliud volo, nihil ſum conatus aliud hactenus, quam vt demonſtrem, honorem mũdanum, qui vindicta nititur, eaq́ priuata libidine, nulla magiſtratuum auctoritate comprobata, veri Honoris nomine cenſeri minimè oportere. Reſq́; aliàs difficilis, propterea mihi videtur facilior, quod apud Chriſtianos, non eos qui à Chriſti fide abhorrent, hæc diſputatio inſtituta ſit, quos credibile eſt, maiorem Chriſti, quam mundi rationem habituros. Quod ſi ita eſt, hos vel reluctantes, facilè in ſententiam pertraham, nec mecum certaturos puto, qui bonum ſectantur, non malum: honeſtum amant, non inhoneſtum, verum amplectitur, non falſum.

Cæterorum pugnam haud detrectabo, qui ſi hoc tempore veritatem non amplectuntur, amplectentur tamen ſuo aliquando magno malo: ſed iã tempus eſt, vt ex animis hominũ eruatur falſa de sũma hono-

Honoris opinio: repetamus igitur rem à principio. Mihi quidē in hāc rē plenius intuēti, nō abſurdè vulgus hominū videtur ſentire, ex virtute honorem procreatam: nec enim honeſtum, abſque virtute honeſtū dici; nec nobilitas ſine virtute quæri, aut retineri poteſt. Et quemadmodum vitiorum pœna eſt dedecus, & infamia: ſic virtutis præmium honor & gloria.

Rom. 2. *Tribulatio & anguſtia (inquit Apoſtolus) in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci: Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum Iudæo, primum & Græco. Et cur quæſo, maiores noſtri virtutum ſuarū exempla nobis reliquerunt? vt hæc dum ſequimur, vitia fugiamus. Quare qui nobilitatem in vitiorum vaſe collocant, næ illi quid nobilitas ſit, non intelligunt? Sed ab ſit vt ego quemquam nobilium virorum, de nobilitate ita ſentire exiſtimem, qui neminem eorum putem aliundè, quàm à virtute nobilitatis inſignia repetere. Et ſi quis aliter de nobilitate ſenſerit, aut loquutus ſit, non ſatis, vt opinor, vim verbi ponderarit. Quare non dubito, quin ſimul ac detectis pigmentis, veri Honoris*

imagi-

imaginem expreſſero, ab vmbra falſi Honoris, ſub qua latuerunt hactenus errore ducti, ad veri Honoris lucem, me auctore digreſſuri ſint. Quod autem iſta nobilium de ſumma Honoris lex, non virtuti definiatur, ſed ſcelere, facilè verè nobilibus viris, facilius etiam Chriſtianis probauero, qui ſi ij ſunt, qui profectò eſſe debent, de vita prius, quam Chriſti ſententia decedēt. Quamobrem ſi eam, quæ de ſumma Honoris lex eſt, ijs, quæ Chriſti præcepta ſunt, repugnare demonſtraro, ſequetur neceſſariò, legem Chriſtianis exitioſam, Chriſtianorum conſenſu abolendam. Nam quid Chriſtiano eſt ſecundum virtutem viuere? Chriſti, vt opinor, præcepta obſeruare; quid à virtute diſcedere? ea, ni fallor, negligere, quæ Chriſtus mandauit. Chriſtiani enim eſt, & legem Chriſti agnoſcere, et non aliundè, quàm ex Euangelio vitæ præcepta ſumere, his quæ oppoſita ſunt, fugere, ac deteſtari. Itaque inter Chriſtianos virtute cæteros antecellet is, qui legis Chriſti tenacior atque obſeruantior reperietur. Contrà is perpetuæ infamiæ notam incurret, qui præ cæteris magis ab Euangelio deflectit, nec ad ſanctiſsimam eius

regulam,ſed animi libidinem, vitæ curſum ſuæ dirigit. Qui aliter ſentit, maiori ſcelere obligatur, quàm hæretici, Iudæi, aut pagani. Hæc patiare me abs te impetrare, Chriſtiane Lector, quæ Chriſtianorum nemo negauerit, & videbis iam iam, quã nullo negotio legẽ ſubuertã. Multa enim in ſacris libris, ac propè infinita ſunt quæ legi huic & inſtitutis Principum virorum planè opponuntur. Legis autem de ſumma Honoris, tria ſunt omninò capita; quorum hoc primum, Cui illata iniuria eſt eam abſq; magiſtratuum interuentu, ipſe vindicato. Secundum, Deo offenſas ne remittito, aut ignobilis & infamis eſto. Tertium, Quem læſeris, prior ne adito, errati veniam ne rogato, pacis conditiones ne offerto. Hæc Chriſti legibus opponi, mihi relinquitur declarandum. Sed id, quod volo facilè liquet ex ſecundo capite huius libri, vbi de fœderis conditionibus egimus, quas æquiſſimas amicitiæ retinendæ Chriſtus inuenit. Videre eò loci eſt, vt Chriſtus humanæ concordiæ cupidus ſit: vt fœderis & pacis violatoribus ſuccenſeat: vt ijs iraſcatur, qui ſibi vindictam non permittũt, vt arma magiſtratibus conceſſerit tã

tum,

tum, cæteris interdixerit; vt præceperit ei, cui illata iniuria eſt, eā ſibi condonet: vt q̄ inter priuatos tranſigi nequit, ea res cis iudices, legumq́; cuſtodes deferatur, vi aut armis ne dijudicetur. Quis igitur nō intelligit, legem de ſumma Honoris. quæ ad arma cogit, quæ Chriſtū in dirimendis inimicitijs audiendū negat, q̄ nulla auctoritate gladij poteſtatē tradit, quæ nō patitur rogari errati veniā, Chriſti præceptis. & Euāgelio opponi, & quia opponitur iniquā & perniciosā eſſe? quæ ad ſentētiæ noſtræ confirmationē quanquā ſatis ſint, ex eodē tamē fonte plura hauriā. Sic igitur Chriſtus apud Matt. vbi de sūma æquitate Euāgelij, et antiquorū legibus diſputat. Audiſtis, inqt, quia dictū eſt antiquis, diliges proximū tuū, et odio habebis inimicū tuū: Ego aūt dico vobis, diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentib. & calumniātibus vos. His verbis Chriſto verè dignis, homo homini obeſſe ꝓhibetur. Solet. n. obeſſe vel animo, vel ore, vel manib. vt ſi qd cogitauit atrocius, dixerit petulātius, attrectarit alter alteri⁹ corpus, aut fortunas violētius: at hæc omnia prohibētur, dū à Chriſto, quæ his oppoſita ſunt, præcipiuntur. Matt. 5. g

tur. Primum nos rectè animatos vult erga inimicos, his verbis: Diligite inimicos veſtros. Deinde commodis eorum atq; vtilitati inſeruire, dicens: Benefacite his, qui oderunt vos. Tertiò linguam à maledictis cohibet, ac refrenat, ſed in vota pro ſalute inimicorum nuncupanda ſoluit: Et orate inquiens, pro perſequentibus & calumniantibus vos. Hæc æquiſſima Euãgelij præcepta, exemplo ipſe ſuo comprobauit, cùm aliàs ſæpè, tum verò quando pro ijs apud patrem interceſſit, dicens: Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt, à quibus per contumeliam inter duos latrones
Act.7. *erat Cruci affixus. Sic & diuus Stephanus pro ijs quoque Deum orauit, à quibus lapidibus obrutus cecidit. Et Stephanum ſecuti omnes Chriſti Martyres, & diſcipuli. Quæ cauſa fuit, vt diuus Paulus i-*
Ad Ro. 12. *dem nobis imperaret. Non voſmetipſos, inquit, defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus: ſed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit potum da illi: Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. In*
Leui-

Leuitico, à vindicta arcemur, iubemurq́; malficiorum obliuiſci: Ne memineris, inquit Moyſes, iniuriæ ciuium tuorum. Hoc idem Ieſus Chriſtus tam ſeuerè à nobis exigit, vt neget patrem ſuum peccata nobis remiſſurum, niſi nos aduerſariis iniuriam condonauerimus. Quæ verba, vt legis vigorem habere intelligantur, ſimilitudine quadam oſtendit, crimen ingratitudinis eius, qui poſt grauium criminum factam ſibi à Deo gratiam, conſeruis ſuis illatas ei iniurias condonare non vult, à patre cæleſti, ſupra quam cuiquam credibile ſit, caſtigari. Nam qui vno ingratitudinis nomine accuſatur, huic vt copioſius antè à nobis declaratum eſt, anteactæ vitæ crimina omnia intentat Deus, cum in cæteris, quorum poſtulantur, ea agnoſcat tantum, à quibus ſemel abſoluti ſunt, ea ſilentio præteriri patiatur. Quæ vna res homines furentes, & in vindictam pronos, ab incæpto reuocare merito deberet, qui nec oratione flecti, nec precibus mitigari poſſunt, qui iniuriæ maculam niſi ſanguine fratris, & Chriſtiani nunquam deleri ſinunt. Quorum cauſam cum cæteri Chriſti diſcipuli, Matt. 18.

Ioa. 3. *tũ verò Ioannes hac grauiſſima oratione dãnauit. Qui nõ diligit, manet in morte, & omnis qui odit fratrem ſuũ, homicida eſt. Sapiens aũt extremæ dementiæ eos arguit, qui alterius odio cũ flagrant, audent tamen Deũ veniam poſtulare. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictã, & peccata illius ſeruãs ſeruabit. Relinque proximo nocẽti tibi, et tunc deprecãti tibi peccata ſoluẽtur. Homo homini reſeruat irã, et à Deo quærit medelam? In hominem ſimilẽ ſibi non habet miſericordiã, & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe dũ caro ſit, reſeruat irã, et propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis ipſius? Hoc eſt, vt ego interpretor, fieri nequaq̃ poteſt, vt perſeuerãti in odio proximi veniã quiſpiã peccatorũ impetret: Chriſtus verò, ſi nõ dimittitis, nõ dimittetur vobis. Qui.n. placabilem ſibi Deũ proponit, et & immitẽ ſe aduerſario præſtat, is ſe legib. ſoluit, quas Deo p̃ſcribit. Quare qui tã iniqua cõditione peccatorũ veniã à Deo flagitat, Deũ inprimis (quod ipsũ eſt lõgè atrociſſimum) ad irã prouocat. Deinde hanc legem iniquiſſimã Deo præfigit. Tuũ haud eſt Deus, homini qui te offendit, iraſci. Meum eſt, à quo laceſſitus ſum, illi ſuccenſere. Non ea in conditione es, qui maximus es, qua ego ſum, qui tuæ poteſtati ſub*

Eccl. 28.

ti ſubiectus ſum. Hunc enim iracundum illi, et in vindictam procliues Pſeudo Chriſtiani, cũ Deo ſermonem inſtituunt, eorum namq; procedendi modus huiuſcemodi ſermoni æquipollet. Vides igitur iis qui æquiſsima à Chriſto conditione propoſita, aduerſarios in gratiam non recipiunt, ingratitudinis notam inuri, & ſub ea fœdam arrogantiæ maculam occultari. Quid enim lege tam iniqua atq; iniuſta volunt aliud, quam vt Deo, nõ quemadmodũ Lucifer adæquentur, ſed anteponantur etiã? Huc peccandi licẽtia impelluntur, atq; arrogãtia. Attamen in eos quinque pœnarum genera conſtituta ſunt.

Primum, qui proximum odit, filius Dei non habetur, ſed diaboli. Secundum, mortis æternæ reus eſt: Tertium. nullo vnquam 1. Io. 3.
tempore peccata ei remittuntur, etiamſi cæterorum eum omnium pœniteat peccatorum. Nam teſte Paulo, abſq; charitate opera noſtra non ſunt Deo grata. Quartum, quorum abſolutus ante crimi-
num fuerat, eorum omnium pœnas luit, poſt inimicitias cum aduer 1. Co. 3.
ſario ſuſceptas, nec depoſitas, atrox pœnæ genus. At quintum longè atrocius, Vinctis manibus & pedibus in intentiſsimas Inferorum tenebras præcipitabitur, inter lachrymas & eiulatus perpetuò cruciandus. Neceſſe enim eſt eos à cœtu Heroum, & beatorum ſpiri-
tuum procul ſeiungi, vt ne cæleſtem illam quiẽ interpellent. Quod Matt.
ſi eò intromitterentur, forſan conſpecto aduerſario, in eius cædem 18.
ferrũ ſtringerẽt, & inter Chriſti amplexus violarẽt, vt nobilitatẽ & corporis robur, tot circũfuſis gentibus, & nationib. oſtentarẽt.

Eſt igitur è re electis reip. illos cæterorũ conuẽtu prohiberi. Quemadmodũ dũ viuerẽt legib.

à Chriſto de pace & concordia hominum promulgatis, ſtare noluerunt, ſic poſt mortem Chriſti ſententia, eò loci relegantur, vbi exleges degant, inter auctores ſeditionum, factionum, homicidij, diabolos, & eos, qui cum diabolis mortis æternæ condemnati ſunt. Odiſſe nimium, ardere cupiditate vindictæ, cuniculis ſalutem alterius oppugnare, ſunt qui nihili ferè ducunt, & vix referenda inter peccata putant, qui cum odij inueterati pœnam in inferno expendunt, longè aliter ſentient ac loquentur. Repugnant autem iſtæ puncti Honoris leges ijs Chriſti legibus, quæ ſunt de cõcordia humani generis, itaque cum ad abolendam concordiam faciant, Rempublicam humanam perdunt, quæ pacis commodis tum deſtituitur, cum leones iſti, aut Nerones verius, vt fortitudinis aliquod ſpecimen edant, in fratres & Chriſtianos impetum faciunt, quos quo alio nomine appellem, necdum planè mecum conſtitui. Sed quia de ſumma Honoris agitur, quæro à te quid ei facias, qui actionem iniuriarum nec fraterna neceſſitudine, nec amicorum decreto, nec ſententia iudicis patitur definiri? Quo nomine recenſebis? Mihi cer-

hi certè quod efferacior ſit eo, qui in ſyluis natus, et inter feras educatus eſt, Tyranni appellatione videtur intelligendus, quippe qui nec leges, nec homines agnoſcat, ſed ad voluptatem, & voluntatem ſuam omnia conuertat. Tyranni autem homines ſunt duri, inhumani, ſæui, truces, ſeditioſi, qui niſi caueris, patriæ libertatem inuadunt. Qua cauſa Chriſtus, qui pacis & concordiæ amantiſsimus eſt, damnatum ſæpè crimen vehementer deteſtatur, quippè quod voluntati ſuæ, immò naturæ, hoc eſt, charitati opponitur. Charitas autem non tantum Deo cara eſt, vt virtutes aliæ, ſed ipſe Deus charitas eſt. Hoc intellexit Apoſtolus, qui diſcipulos ſuos ad pacis & charitatis ſtudium præcipuè cohortatur. Rom.12. *Nec ignorabat Deum ijs ſuccenſere vel maximè, qui aduerſarijs iraſcendum putant. Quare cum vindictæ cupiditas tam inuiſa ſuperis ſit, tam graue ſupplicium in vindictæ cupidos conſtitutum, vt Chriſti teſtimonio vſus, ſatis ſuperq́ declaraui, quæ tandem lex ſuperſtrui poteſt, tam pernicioſo atque peſtifero fundamento? Honos abſq; virtute originem repetit, vt copioſius antè dictum eſt: Vera*

virtus in Chriſti legibus collocatur, quæ rectè viuendi præcepta ſunt: quo pacto igitur verus honos dici poterit, ex eo promanans, quod cum Chriſti lege apertè repugnat? Aut quis eum de Deo piè ſentire credet, qui quod Deus vetat, ad laudem pertinere contendit, quaſi verò cuiquam laudi ſit, à Deo alienari, à diabolo in filium adoptari, illi coniungi O nobilitatem, ô gloriam, Deus bone, hic vt nobilitatis iura vindicet, ſe diabolo adoptandum tradit. Hoc igitur illud eſt vnicum veræ nobilitatis decus, ab ingenioſis hominibus hac tempeſtate, prudenter inuentum, quod nobiles iſtos, ſpolijs aduerſariorum decoros manu ad inferos ducit. Et ex quo, quæſo, terrarum orbe repentè prodierunt nobiles iſti & Chriſtiani, qui veri Honoris ſpeciem tantis periculis implicitam hominibus oſtentarunt? Infelix profecto ille terrarum tractus, ſi Chriſto credimus. Si Chriſto non credunt illi, ne Chriſtiani quidem ſunt. Sed ipſos loquentes audiamus Lector. Quid cauſæ eſt, ô viri nobiles, quod cum aduerſarijs non redeatis in gratiam? vt redeatis, non homines tantum vos, ſed Deus immortalis, Pater noſter, rogat atq;

ob-

obſecrat. *Quid ad hæc reſpondent? Abſit, abſit, agitur enim nobilitas, agitur honor agitur dignitas, agitur fama noſtra. Quid (inquam) Chriſtus eratne illuſtri & vetuſta ſtirpe ortus? erat, & quidem longè illuſtriori quam vos, etiamſi à Priamo Troianorum Rege originem repeteretis. Ita natus cum eſſet cœli & terræ Dominus, gentiles & familiares ſuos, iјs artib. inſtruxit, eas exercuit, quæ ab inſtitutis veſtris multum diſtant. Quando quæris, audi igitur, Chriſtum pro ſalute hominũ mortẽ in patibulo oppetẽtem. Inter vulnera, clauos, flagella, verbera, ſpinas, sãguinẽ ignominiã, conuitia, opprobria, iniuriã & inimicorum irriſiones. Regis gloriæ, Principis Honoris, Domini Nobilitatis, vna excepta vox, Pater, Quid? Fili dilectiſsime, quid cupis? vt tibi ſuppetias laturus mittam duodecim legiones Angelorum, qui teterrimos, et ſceleratos hoſtes occiſione occidant? Non illud eſt Pater mi, quod te rogatum volo. An vt ignem è cœlo demittã, eos in cinerẽ redacturus? Aut reclufis terræ viſcerib. infernus dehiſcat, atq; eos abſorbeat? Ne hoc quidẽ. Ignoſce illis, hoc te rogo. Neſciũt enim quid faciũt.*

Ita

Ita Chriſtus, ô viri nobiles, Imperator veſter & magiſter, vobis nobilitate, & maiorum gloria longè præſtantior: ita, inquam exemplo vos inſtituit ſuo. Et perſeuerabitis poſthac in cupiditate vindictæ? aut negabitis ſine famæ detrimento inimicitias deponi poſſe? Aut putabitis veſtræ nobilitatis decus violari præceptis Chriſti? Ergo vos à Chriſtianorum ſegregate conſortio. Chriſtianus enim non eſt, qui quod Chriſtus fecit, facere recuſat, qui Chriſti leges præterit, qui quæ legibus Chriſti oppoſita ſunt, ſectatur; qui deniq; in eo humani honoris ſũmã collocat, quod Heroum omniũ anteſignanus Ieſus Chriſtus damnat & deteſtatur. Eſtne Chriſtiani aut nobilis viri, honeſtum ducere, quod Chriſtus inhoneſtum, aut ignobile æſtimat, quod Chriſtus nobile appellauit? In malam crucem Chriſtianus ille & nobilis abeat, qui leges à lege diuina tam alienas, & cum veritate repugnantes tulit. Latent enim ſub ea lege, quæ de ſumma eſt Honoris, abdita impietatis diuerſa genera, vt natura rei detecta. & in medium allata facilè intelligemus. Nam qui ſummam mundani iſtius Honoris lege defini-

tam

tam defendit, Chriſtum ſapientiæ diuinæ fontem, aut imprudentiæ arguit, quod de ſumma Honoris malè iudicauerit: aut iniquitatis, quod ea in quibus verſatur ſumma Honoris, mortalibus occultarit, dum ea præcipit, quibus maiorum gloria, & vera nobilitas obſcuratur. Præterea militem ignominiæ cauſa exauctoratum, ex ijs regionibus, quæ eis Pyrrenæas, aut Alpes ſunt, in Gallias aduenam de vera nobilitate diſputantem ſtudioſè & cupidè audiunt: Chriſtum regem de Honore triumphantem, è cœlo in terras venientem non audiunt, quaſi verò miles ille rectius & melius propoſitam de virtute & honore quæſtionem ſoluerit, quam Chriſtus redemptor noſter, ac Chriſti præcepta nulla ſint, ſi cum lege militis comparentur. Qui enim ad Chriſti amuſsim, mores ſuos dirigit, iuxta iſtorum ſententiam ius nobilitatis amittit: qui lege militis vitam adminiſtrat, quam à maioribus accepit gloriam clariorem, illuſtrioremq́, poſteris relinquit. Quæ cum iſtos ſentire verum ſit, verum quoque eſt ſub iſta lege, vt ante diximus impietatis diuerſa occultari genera. Non deerunt hoc loco, qui licere ſibi,

impijs

impijs eſſe, priuilegio nobilitatis reſpondebunt, aut ſaltem, quæ de impietate eſt, reii nere legem. Qua enim alia re à Plebeis differrent, quos nouo contumeliarum genere viles appellant (vt illoto ore maiorũ gloriam poliuant) quam licentia peccandi lege permiſſa? Præſtantioribus quidem illis eſſe licet, quis negat? Tranſigere autem per luxum vitam, quos lubet trucidare, legem tueri à Chriſti lege diſcrepantem. Hæc, inquam, licere nequaquam puto. Memini me legiſſe apud Paulum, Deũ præpotentem, nullam hominum diſcrimen agnoſcere, nec Patricium à Plebeio, Græcum à Iudæo, Dominum à ſeruo diſtinguere, ſed virtutem vnam, quæ Chriſti lege & religione nititur, homines apud Deum claros & illuſtres reddere. Qui legibus ſoluti viuere cupiũt, in extremum aliquem terræ angulum, ſecedant oportet, procul à ſocietate Chriſtianorum, vbi in ſumma armorum licentia inteſtinis bellis & ſeditionibus conficiantur. Nã paradiſus Chriſti ijs tantũ patet, qui Chriſti legibus ſubſcribunt. Quia eadem legum Chriſti natura eſt, vna fides, ſic paradiſus vnus, quo nemo principum virorum ingreditur, qui homi-

*hominum placita Chriſti præceptis ante-
ponunt. Non eſt, quod quis veſtrum, auos,
atauoſq́; iactet, nam qui paradiſum Chri
ſti cupit ingredi, Chriſto morem gerat, o-
portet. Quod ſi lex iſta veſtra ad volupta
tem faceret, diuinam maieſtatem non vio
laret, ferenda fortaſsis eſſet, ſed ex lege il-
la, quid voluptatis elicitur? Vos conſulo,
An voluptatis eſt pugnare, vulnerari,
interfici? An iucundum dilapidare bona,
in alendis ſicarijs? Aut optandum cuiquã,
dies & noctes vt expaueſcat, metuatq́;
vulnera, cicatricesq́; mortem? Quo enim
ſpectat illa verborum formula, quibus al-
ter alteri certamen indicit? quorſum illud
quãdo alter alterũ de ſumma honoris pro-
uocat, Marte iudice diſceptaturus? Rumpi
ſcilicet aut incidi ligulam aſtrictoriã, quo
facto alter alterius trucidãdi poteſtatem
traditam ſibi putat. Verba autem inuitã-
tis ad prælium hæc ſunt:* Exeamus aliquò,
*rem gladio dijudicaturi ſine arbitris. Hoc
eſt, periculũ facturi, vter alterũ prior tru
cidauit, vel mutuis ne vlnerib. vterq́; occũ
bet, aut tentemus, vter alterũ prior diabo-
lo mactabit victimam, vel vterq́; diabolo
immolatus concidat. Sunt igitur quædam*

inter

inter vos ſocietatis iura, poſtquam eandem ad Diabolum viam ingredimini, nā qui mutuis ictibus, vt plerunque fit, traiecti collabuntur, recta ad infernum deſcendunt. Sed quid properatis eò, quò nemo certius veniſſe traditur? Aut quid voluptatis capitis, ex ludo tam periculoſo? Periculoſum dico, quid enim Chriſtiano periculoſius, quàm cruentatis manibus ex hac vita erumpere, & mortem oppetere ſempiternam? O vos igitur ſtolidè feroces, qui dum in vindictam ruitis, vitæ huius, & æternæ diſcrimen incurritis? Non videtis vos ſpecioſo Honoris titulo deceptos à diabolo ad carnificinam duci? Non pudet vos ſingularis dementiæ? Non pœnitet periculoſi certaminis aleæ? Vbi vigor ille animi, & præſtantia ingenij? Quod ſi ego fuiſſem in eo Principum conſenſu, vbi decretum eſt aliam viri nobilis, aliam eſſe ignobilis conditionem lege definitam, quia viſum erat à communi illa hominum ſocietate diſcedere, tuliſſem quidem ego legem, qua ortæ inter nobiles controuerſiæ componerentur, haud ita periculoſam, ſed iucundiorem multò; nec paſſus eſſem vos legis cauſa inter ſpem & metū

perpetuò fluctuari. Si quis eius rationem à me repetet, huic ego reſpondebo, me haud alio luſu quàm pilæ palmariæ, inimicitias fuiſſe diremptur um, aut aliquo ſimili, qui nullo vitæ periculo plus voluptatis afferret, quam detrimenti: Hoc me legiſlatore foret inſtitutum. Videtur enim mihi homine ingenuo maximè indignum, propter verbum temerè aut iracundè prolatum, ad arma properare, eò præſertim, cui labes aſperſa eſt, nam de re nihili tùm certamen ſit, ipſe cum aduerſario in eodem verſatur diſcrimine, nec vlciſcitur, ſed auget iniuriam, qui pari conditione certat. Nam ſi inimicum interficiat, quod cupere inprimis videtur, homicidij conuictus, vel cruci affigitur, vel percutitur ſecuri. Si verò ipſe gladio transfixus cadat, quod frequenter euenire ſolet, an tum vltus iniurias cenſebitur? Quare dicant legis huius Profeſſores quod lubet. Ex noſtratibus nobilibus vnus perquàm ſapienter videtur mihi aduerſarij petulantiam eluſiſſe. Cœnarat ille cum ſodali ſatis lautè, poſcitur poſt cœnam fritillum, iactatur alea, primum luditur, deinde rixatur. Nec ſodalis verbis litem terminaturus, eamus, inquit

foras; quid vellet, intelligis. Tum verò alter ſodali exeunti occludens fores: quando quidem, inquit, tu, quò lubuit egreſſus es: mihi intro manere viſum eſt. Sicq; prouocantem ad periculoſum certamen irriſit. Atque ſodalis ira ſub lunæ vmbra paulatim deferbuit. Quam tandem reportaſſet gloriam, te conſulo, ſi domo egreſſus, vel amicum trucidaſſet, vel ab amico vltus cecidiſſet? Hæc igitur gloria eſt, quam, qui legi iſti obtemperant, domum referunt; at vtilitas non alia petitur, quàm vitam perpetuis fortunæ caſibus expoſitam, inimicorum gladijs obijcere. Itaq; quid ſit, in quo poſt legem latam Principes cæteris mortalibus præſtare cœperunt, non video, niſi amentia & impietate gloriantur. Nam Dei cultum præ lege negligi, nemo eorum, qui de ſumma Honoris digladiantur, negauerit, quod quamuis pluribus à me ſit ſuperius demonſtratum, repetam tamen paucis hoc loco. Primum enim peto, an affirmauerint ſummæ Honoris fundamentum, virtutem eſſe & honeſtatem? Quod ſi affirmarint, vicimus. At eorum honoris ſumma, non virtute ſed ſcelere fulcitur, et quaſi verbis opus foret in re perſpicua. Declara-

claratũ eſt multo antè, quæ lege iſta tã præclara iubẽtur, Chriſti lege prohiberi. Quare oportet eos, aut repudiare legem, aut quod contra legem eſt, diſcedere à ſententia, aut ſi legem tueantur, tueri hoc quoq;, quod dictu nefandum eſt; Chriſtum ignoraſſe virtutis vim, atque præſtantiam, aut non agnouiſſe nobilitatis, & honeſtatis iura, cum ea præcipiat, quæ ſi nos ſequimur, maiorum inſignia obſcuramus. Hæc & id genus alia impiè dicta in Chriſtum, quæ nemo bonus æquis auribus admittat, tueantur neceſſe eſt, qui legem tuentur iſtam. Nõ hæc dico, vt quæ Turcarum ſunt Iudæorum, aut Paganorum in Chriſtianos, & nobiles congeram: Quis enim, quæſo, noſtrum tam impius in Deum? ſed vt hæc dum intelligunt, legem de ſumma honoris abolendam cenſeant: ſi pro lege retinenda laborabunt, tum demum certo nobis certius ſit, eos non inter Chriſtianos, quorum ſumma in Deũ pietas eſt, ſed inter Paganos, Saracenos, Turcas referendos. Nam legem iſtã retinere incolumi pietate Chriſtiana nõ poſſũt. Ac ideo vt Chriſtiani oẽs impietatẽ deteſtẽtur, execrẽtur impios, haud aliter eradicãdã puto, q̃ eſt nobi

virorum de ſumma Honoris ſententia, à veritate Chriſtiana ſemota, & à Chriſto mortis æternæ damnata. Erit etiam longè magis ex re nobilium, Chriſto rectè monenti parere, quàm plebeio & indocto militi prauè iudicanti, obtemperare, Nam re vera maior ac diuturnior eius erit gloria, qui iram cohibet ac refrænat, ſub miti Chriſti iugo vitam traducturus, quàm eius qui præ cupiditate vindictæ & impotentia ſui in mortem præceps labitur. Non enim ignaui eſt, vt illi falsò arbitrãtur, animo imperare, ſed ad laudem magis facit victoria ſui, quàm hoſtis: animi moderatio, quàm vrbium expugnatio.

Fortior eſt, inquit Poeta, qui ſe, quam
qui fortiſſima vicit
Oppida: nec virtus altius ire poteſt.

At Chriſtianis nullus excuſationis locus relinquetur, ſi poſt leges Chriſti ſalutares, hominum inſtituta ſequimur, aut, vt verius loquar, diaboli placita. Ille, ille enim, homicidij reus, pernicioſæ legis auctor eſt, vt nobiles viros ſui ſimiles redderet, homicidas, ſicarios, impios. Quare ſi in ſententia hæſerint, à Chriſti ſententia planè diuerſa purgare ſe Chriſto, qui poterunt?

Per-

Perſuadeamus nobis igitur Chriſtiani, ſi Optimatibus perſuadere non poſſumus, magis referre ad dignitatem noſtram, Dei filios, quàm diaboli ſobolem appellari: & decere magis virtutem Chriſtianos, quam vitia, ac deniq; nominis gloriæ, atq; immortalitati cõſulere magis, qui rectà per veſtigia Chriſti in paradyſum vadunt, fœlicitatem nacturi ſempiternam, quàm qui obliqua mundi ſemita, ad inferos deſcendunt, quorum ſummis calamitatibus nulla vnquam temporis diuturnitas finẽ allatura eſt. Si Chriſtiani dicimur, re ipſa Chriſtiani ſimus, & Chriſti verbis potius, quàm hominum figmentis fidem habeamus. Sequamur eum, quem nobis Deus Imperatorem dedit & Ducem, ad veram gloriam capeſſendam. Ipſe enim eſt via, vita, & veritas, à quo homines, qui diſſentiunt, mendaces ſunt, vafri, & impoſtores, Duces cæci: quando autem cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Sentire cuique quod lubet, integrum eſt: ſed quid quiſque ſentiat, ipſe viderit. Mihi videtur abſq; ratione & planè diſſonum, eundem Chriſtianum dici, & legem de ſumma Honoris à Chriſti lege diſſentien-

tem mordicus retinere. Quærantur orationis lenocinia & amentia eorũ, qui ſummam Honoris pernicioſa lege definiunt, Rhetorum pigmentis adumbretur, voluntatẽ patris, Chriſtus ita oculis omniũ ſpectandã propoſuit, vt quamquã benè comptæ oratio eorum, vana tamen & inutilis futura ſit. Nemo enim eſt, qui non intelligat, legẽ de ſumma Honoris, non dico cum Chriſti lege tantum, ſed naturæ etiã pugnare. Sumus enim rationis luminib. à natura illuſtrati, & ſeparati à cæteris animantibus, cuius beneficio terminari lites ſine armis poſſunt. Cùm iure ciuili autem & Pontificio quadrare qui poteſt? Cũ tot ſint leges, tot magiſtratus, quorũ æquitate lites definiuntur, ſi legibus experiri magis libet, quàm amicorum iudicio, aut Dei Clementiæ quidquam concedete. Huc tamen penetrauit de ſumma Honoris quæſtio, vt non ſolum diuinam & naturalem, ſed etiam Pontificias & ciuiles ſit abolitura leges, niſi opportunè graſſanti malo occurratur, nec iis contenta finibus, pergit vlterius lex iſta, Regna & Ciuitates euerſura. Nam non aliud hac lege molitur diabolus, quàm vt legum vim imminuat,

nuat, Magiſtratuum poteſtatem eludat, æqui & iuſti maieſtatem violet, ac ſubuertat. Sic enim homo, qui miti placidoq́ue ingenio natura præditus eſt, vt feræ animantes & piſces incrudeſcet, inter quos qui minor eſt, à maiori deuoratur. Permiſſa namque quē lubet trucidandi vnicuique poteſtate, haud alia eſſet hominum ſocietas atque coniunctio latronum, & latrones liberè graſſari, ac Tyrannidem exercere poſſent. Nam ſi per legem quod lubet, licet, in cuius opes inuaſuri ſumus, huic aliquo iniuriarum nomine, bellum indicemus, & quiſque vel infamis latro, ſpecioſo titulo furta, latrocinia, homicidia occultabit. Ac ideo niſi lex hæc abrogetur, viuendum poſthac procul ab hominum cœtu, inter leones & lupos arbitrabor. Nam cum nobiles iſti arbitri ſint, & Iudices rerum ſuarum, quis ab eorum ſententia prouocabit? Et qua lege illis permiſſum eſt, vt in eadem cauſa, & quidem ſua accuſatoris, teſtis, Iudicis, carnificis officio fungantur? quanquam nulla lege, funguntur tamen. Idem enim de iniuria illata queritur, idem teſtimonium dicit, idem ille fert ſententiam, idem ſontes

virgis cædit, idem percutit ſecuri, tot tantaq; munera in cauſa ſua defendenda, obeunt ſummæ Honoris vindices. Quare nulla gens eſt tam barbara, aut ab omni ratione aliena, quæ non cenſeat legem tam iniquam bono publico abrogandam. Et lege, quæ nec æqua eſt, nec bona, nec honeſta, ſed cui leges diuinæ, naturales, Pontificiæ, ciuiles opponuntur, iura nobilitatis aut honeſtatis poſthac corroborabuntur? Minimè verò: Supereſt igitur, ſi Chriſtiani ſumus, vt lege abrogata, cupiditates noſtræ Chriſti præceptis, naturæ iuſſu, rationis imperio, iuſtitiæ regula, æquitatis norma refrenentur. Si quid à Diabolo, vel diaboli aſſeclis turbabitur, id amicè componatur, non ad legem quæ de ſumma Honoris falſi eſt, ponderetur. Perſpecta nobis voluntas Dei, detectæ diaboli inſidiæ: prætereamus ſatos à Dæmone errores, & pullulantes vitiorum propagines: pergamus ad Ieſu Chriſti Domini & Regis noſtri ſalutarem doctrinam, noſtros componere mores. Ex cognitione rerum præteritarum, futurarum coniecturam faciamus, reperiemuſque diabolum, qui ſalutem noſtram cuniculis oppugnat, non aliys

lijs operibus crebrius, quàm ſerendis diſ-cordijs occupatum. Ac primum ipſe ab imperio Dei Opt. Max. ſcelerate diſceſ-ſit: Deinde homines miſerè deceptos, ab eo-dem ſeparauit: ac poſtremùm illos ipſos à ſe mutuò diſiunxit, iactis bellorum & ſe-ditionum, contentionumq́; ſeminibus, vt dum ad tubæ cantum dimicant, infeſtis transfixi haſtis mortem occumbant. Hinc ſectæ, vel iam inuentæ, vel à priſcis accep-tæ, quibus incendit atque alit odia, rixas, bella: Hinc illa quæſtio de ſumma falſi Ho-noris orta, de qua dum inter nobiles viros diſceptatur, ſtabiliri malorum omnium ſentinam neceſſe eſt. Sed cognitis capita-lis hoſtis noſtri artibus, euitari facilius po-terunt, quæ ceruicibus mala impendebant, redijſſe verò in viam ſalutis iam oportu-it, quippè, quibus in mentem venit ſacra-menti religio, quo à ſceleribus ſacro fonte expiati, præpotenti Deo nos noſtraque ob-ſtrinximus, diabolo, carni, mundo, bellum indicentes, aut verbis ſtare nos noſtris, aut nobilitatem è manibus emittere opor-tet, quam illi ſibi meritò vendicant, qui o-mnes vitæ ſuæ actiones diuinis legibus me-tiuntur. Quod ſi Chriſtiani neminem

poſthac laudarent eorum, qui trans termi nos vitæ à Chriſto præfixos tranſiliunt, ſed eos, vt debent, laudibus in cœlum tollent, qui ne latum quidem vnguem à Chriſti monitis diſcedũt, certè principes cupiditatib. ſuis imperare diſcerẽt, & paulàtim Chriſti aſſueſcerent inſtitutis, ac euitandæ ignominiæ cauſa, qua aff ecta fortaſsis nobilitas eſt pro virili quiſq; ad Deum properaret, inſignia nobilitatis ſuæ Ieſu Chriſto principi maximo & clementiſsimo in manus & tutelam traditurus, qui longè acrior eſt nobilitatis vindex, & multò æquior iuſti aſſertor, quã cui permittas rei dubiæ dijudicandæ arbitriũ, potentiſsimus quiuis orbis terræ Monarcha. Qua ratione fieret omnium cõtrouerſiarum arbiter legiſlator noſter Chriſtus. Et ſi quando ſermo incideret de ſimultatibus Principum, is hac iucunda narratione finietur. Offenderat hic nuper vicinum grauiter quidẽ, ſed poſtquam ira deferbuit, & reuocaret in memoriam Chriſti præcepta, ante occaſum Solis, pœnam depræcatus, vicini clemẽtiæ atq; poteſtati ſe tradidit, ô factum benè? Cui narrationi & hæc ſubnectetur: Ingeſtum huic probrum à vicino, ſed

vt eſt

vt eſt inſigni pietate, probrum Chriſto cõdonauit. O virũ verè nobilem? Qui Chriſti iudicium ſubterfugient, eorũ vita carpatur, mores lacerentur, facta proſcindãtur. Si qui maledictis abſtinent, quia nihil iſthæc curare principes animaduertũt, vituperare tamen ea debent, quæ laudare per Chriſti præcepta nequaquam poſſunt. Non deerunt, qui viros bonos de ſumma Honoris rectè iudicantes, arguent tamen vel inſcitiæ, vel imprudentiæ, ſed habent quod his reſpondeant. Vos o nobiles viri, eiuſdem cum mundo Chriſti hoſte ſententiæ eſtis, nobis, qui Chriſtiani ſumus, decretum eſt idem cũ Chriſto ſentire, quod dum facimus, haudquaquam acceptam à maioribus gloriam amittimus. Sic mea ſententia faciendum eſt. Nec quæri debet, fierine poſſit, quod à me conſulitur. Nihil enim aliud à me, quàm quod à Deo, quod à natura decretum eſt, ſuadetur, hoc eſt, vt amemus proximum: Qui autem proximum amat, vt ait Paulus, legem adimpleuit. Quamobrem cui bellum indiximus, diaboli ſeditionum nutriculæ legem abrogemus: Chriſti, in cuius verba iurauimus præcepta amplectamur. Chriſtus ſua ſponte nos

nos è mundo euocauit ad Eccleſiam, vt eadem lege inſtituti, eadem pietate imbuti, eodem baptiſmatis fonte repurgati, ſub eodem Deo, & Domino in eodem ouili viueremus, & ſub gubernaculis eiuſdem Paſtoris, eadem pace, & ſocietate coniuncti, Deo ſeruiremus, dum odio proſequimur neminem, amore alterius. Noſtri igitur muneris eſt, lectores, videre, & quidem diligenter videre, vt ne ea amittamus bona quæ infinita nobis concordia parturit. Viuēdum nobis hic in pace eſt, ſi pace æterna, quæ ſumma eſt in cœleſti illa vrbe Hieruſalem, cui à pace nomen inditum ferunt, ſi immortalitate, cuius ſtudio omnes flagrant, frui aliquando cupimus. Viuamus igitur in pace, & mutua animorum concordia. Deus qui pacis et charitatis auctor & conſeruator eſt, viuet nobiſcum, quod ex diuo Ioanne petitum, huic libro finem imponet. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

FINIS.

FINE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

103

LABORATORIO RESTAURO
A. Lombardi 1971
Via Valsolda n. 125-127
Tel. 899908